

decessit: avus Annus Verus item consul, & praefectus urbi, adscitus in patritios à principibus Vespasiano, & Tito censoribus: patruus Annus Libo consul: amita Galeria Faustina Augusta: mater Domitia Calvilla, Calvisi Tulli bis consulis filia: proavus paternus Annus Verus praetorius ex Succubitano municipio ex Hispania factus senator: proavus maternus Catilius Severus, bis consul, & praefectus urbi: avia paterna Rupilia Faustina, Rupilii Boni consularis filia, fuere; Natus est Marcus Romæ sexto Cal. Majas in monte Cœlio in hortis, a suo iterum, & Augure Coss. Cujus familia in originem recurrens, à Numa probatur sanguinem trahere, ut Marius Maximus docet. Item à Rege Salentino Malennio, Desunni filio, qui Lupios condidit. Educatus est in coloco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri juxta ædes Lateranæ. Habuit & sororem natu minorem Anniam Cornificiam: uxorem Anniam Faustinam consobrinam suam. M. Antonius principio avi sui nomen habuit, & Catilius Severi materni proavi. Post excessum vero patris ab Adriano Annus Verissimus vocatus est: post virilem autem togam, Annus Verus, patre mortuo, ab avo paterno adoptatus est, & educatus. Fuit à prima ætate gravis. At ubi egressus est annos, qui nutricum soventur auxilio, magnis præceptoribus traditus ad Philosophiæ scita pervenit. Usus est magistris ad prima elementa Euphorione literatore, & Geminocomædo, musico Androne, eodemque geometra: quibus omnibus ut disciplinarum autoribus plurimum detulit. Usus præterea grammaticis, Græco, Alexandro; quotidianiis Latinis, Trofio Apro, & Polione, & Eutychio Proculo Siccensi. Oratoribus usus est, Græcis, Annio Marco, Caninio Celere, & Herode Attico: Latino Frontone Cornelio. Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit: Proculum vero usque ad proconsulatum provexit, oneribus in se receptis. Philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer. Nam duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi assumit: & deinceps tolerantiam, quum studeret in pallio, & bumi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lectulo accubaret. Usus est etiam Commodo magistro, cuius ei affinitas fuerat destinata. Usus est & Apollonio Chalcedonio Stoico Philosopho. Tantum autem studium in eo Philosophiæ fuit, ut adscitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen domum Apollonii descendit caussa veniret. Audivit & Sextum Chæronensem, Plutarchi nepotem: Junium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum, Stoicos. Peripateticæ vero studiosos audivit Claudium Severum, & præcipue Junium Rusticum; quem & reveritus est, & seclatus: qui domi, militiæque pollebat, Stoicæ discipline peritissimum, cum quo omnia communicavit publica, privataque consilia: cui etiam ante præfectos prætorio semper osculum dedit: quem & consulem iterum designavit, cui post obitum à senatu statuas postulavit. Tantum autem honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, bofis, floribus semper honoraret. Studuit & juri &c. Hæc ex Julio Capitolino, ejus vitæ scriptore, omnium accuratissimo, transcribere placuit, in quo reliqua ad ejus præclaram philosophicam, & omni virtute decoratam vitam spectantia, videre est.

Addam ex eodem Capitolino quæ potiora visa sunt. Quum frugi esset sine consumacia, verecundus sine ignavia, sine tristitia gravis. His ita se habentibus, quum post obitum L. Cæsar is Adrianus successorem imperit quereret, nec idoneus, utpote decem & octo annos agens, Marcus haberetur, amitæ Marci virum Antoninum Pium Adrianus ea lege in adoptionem legit, ut sibi Marcum Pius adoptaret: ita tamen, ut & Marcus sibi Lucium Commodum adoptaret. Sane eadie, qua adoptatus est Verus, in somnis humeros eburneos habere vidit: scisciatus que an apti essent oneri ferundo, solito reperit fortiores. Ubi autem competit,

rit, se ab Adriano adoptatum, magis est deterritus, quam lætatus: jussusque in Adriani privatam domum migrare, invitus de maternis hortis recessit. Quumque ab eo domestici quærerent, cur tristis in adoptionem regiam transiret, disputavit quæ mala in se contineret imperium. Tunc primum pro Anno Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc est, Antonini, adoptionis jure transisset &c. Post excessum divi Pti à Senatu coactus regimen publicum capere, fratrem sibi participem in imperio designavit, quem Lucium Aurelium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque, atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Remp. regere. Tuncque primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit. . . . Dabat se totum Marcus & Philosophiæ, amorem ci-vium affectans. Sed interpellavit istam felicitatem, securitatemque Imperato-ris prima Tiberis inundatio, quæ sub illis gravissima fuit: quæ res & multa Urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit, & famem gravissi-mam peperit. Quæ omnia mala Marcus, & Verus sua cura, & præsentia tem-perarunt. . . . Erat autem ipse tantæ tranquillitatis, ut vultum nunquam mutaverit mœrore, vel gaudio, Philosophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quoque magistros acceperat, & undique ipse collegerat.

Ad cæteras ejus virtutes accedunt sequentes. Pater Patriæ appellatus à Senatu, hunc honorem ad Veri fratri sui adventum distulit. Hinc ubi Verus e Syria viator rediit, Patris Patriæ nomen ambobus decretum est. Contra ve-ro Lucius Verus petiit, ut secum Marcus triumpharet, & Marci filii Cæsa-res appellarentur. Multas leges condidit: Senatus autoritatem reddidit amplio-rem, nec quemquam in eum ordinem legit, nisi quem ipse bene scisset. Ho-quoque Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite esset judicium, secreto pertractaret. Semper autem, cum potuit, Senatui, Comitiis etiam usque ad noctem interfuit; neque unquam è Curia recessit, nisi Consul dixisset: Ni-bil vos moramur, Patres conscripti. Judiciariæ rei singularem diligentiam adhi-buit: nam & Fastis dies judiciarios addidit. Cavit sumtibus publicis: ac falsos delatores notâ signavit: delationes vero, quibus fiscus augeretur, contempsit. Frumentariæ etiam rei optime consuluit; atque Italicis civitatibus famis tem-pore frumentum ex Urbe donavit. Vias Urbis, & itinerum diligenter curavit. Eos, qui ultra vesticalia quicquam acciperent, à præfecto Urbis, vel curatori-bus viarum puniendos sancivit. Addam quod habet Xiphilinus ex Dione, quo insignis Marci de publicis studiis cura probatur: *Marcus postquam Athenas ve-nit, initiatusque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus, quorum in urbe do-clores omnis doctrinæ annua mercede conductos constituit ad omnium gentium utilitatem.* Imperator cum esset, ac omnium dominus, omnia non sua, sed Se-natus, ac populi esse dicebat; quod ex eodem Xiphil. hic adnotandum: *Marcus pecuniam ex ærario petivit à Senatu, non quod ea non esset in principis potestate, sed quod diceret, eam, cæteraque omnia esse Senatus, populique Romani.* Non enim, inquit (id dicebat in Senatu) usque adeo nihil habemus proprium, ut etiam vestras ædes habitemus. Et ut verbo rem absolvam, per omnia mode-ratissimus, Sanctissimis legibus, diligentia, & vigilancia in regimine adhibitis, ac optimis suis moribus, fecit ex malis bonos, ex bonis optimos.

De bello Germanico, Parthico, Marcomannico, & Victoralorum felici-ter acto, & ut Pannonias, Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, & Quadi extintis, servitio liberaverit; vide Marci vitæ scriptores, ac potissimum sæ-pe citatum Jul. Capitolinum, ex quo exemplum eximiæ pietatis in populos, in Marcomannico bello ostensum, transcribam: *Quum autem ad hoc bellum omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provin-cialibus aliquid imperaret; in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum im-peria-*

perialium fecit, vendiditque aurea pocula, & crystallina, & murrhina, vasa etiam regia, & vestem uxoriā sericam, & auratam, gemmasque etiam, quas multas in repositorio sanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est; tantumque auri redactum, ut reliquias belli Marcomannici ex sententia persecutus, postea dederit potestatem emto-ribus, ut si quis vellet emta reddere, atque aurum recipere, sciret licere. Nec molestus ulli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddidit.

Erat famæ suæ curiosissimus, & requirens ad verum quid quisque de se diceret, emendans quæ bene reprehensa viderentur . . . Semper sane cum optimatibus non solum bellicas res, sed etiam civiles, priusquam ficeret aliquid, contulit. Denique sententia illius præcipua semper hæc fuit: *Æquius est, ut ego tot, & talium amicorum consilium sequar, quam ut tot, & tales amici meam unius voluntatem sequantur.* Sane quia durus videbatur ex Philosophiæ institutione Marcus ad militiæ labores, atque ad omnem vitam graviter carpebatur: sed male loquentium dictis vel literis, vel sermone respondebat . . . Erat mos iste Antonino, ut omnia crimina minore suppicio, quam legibus plecti solent, puniret: quamvis nonnunquam contra manifestos, & gravium criminum reos inexorabilis permaneret. Capitales caussas hominum honestorum ipse cognovit, & quidem summa æquitate, itaut prætorem reprehenderet, qui cito reorum caussas audierat, juberetque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens, ut ab eo audirentur, qui pro populo judicaret . . . Omnibus orientalibus provinciis carissimus fuit: apud multas etiam Philosophiæ vestigia reliquit: Apud Ægyptios civem se egit, & Philosophum. Cum autem Avidius Cassius, pro Romana Rep. in oriente bellum gerens, à Marco imperante defecisset, ac se Imperatorem appellasset; Marcus non satis defectione Cassii motus est, nec in ipsum sœviit, sed per Senatum hostis est judicatus, bona que ejus proscripta per aerarium publicum. Quare nec exultavit interfectione Cassii, caputque ejus Romam delatum humari jussit. Ipsum enim per clementiam occidi passus est, non jussit: imo & doluit extinctum Cassum, dicens, voluisse se sine Senatorio Sanguine imperium transfigere. Talis denique hujus magni Principis, & Philosophi vita fuit, ut veterem illam Platonis sententiam, quam semper in ore habebat, veram ostenderet: *Florente Civitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.* Petiit à Senatu, ut Faustinæ uxori suæ, quam in radicibus montis Tauri in vico Halalæ subito morbo exanimatam amiserat, honores, & desque decernerentur; eamque laudavit, ejus impudicitiam vel nesciens, vel dissimulans: ac vicum, in quo obierat, coloniam fecit, & ædem illi extruxit; novasque puellas, Faustinianas appellatas, in ejus honorem instituit: atque gavisus est, ipsam à Senatu Divam Faustinam appellatam fuisse.

Tandem de ejus morte hæc ex Capitolino addenda: *Quum ægrotare cœpisset, filium advocavit, atque ab eo primum petiit, ut belli reliquias non contemneret, ne videretur Remp. prodere . . . Deinde abstinuit cibo, potuque, mori cupiens, auxitque morbum. Sexta die, vocatis amicis, & ridens res humanas, mortem autem contemnens, dixit ad amicos: Quid me fletis, & non magis de pestilentia, & communī morte cogitatis? Et quum illi vellent recedere, ingemiscens ait: Si jam me dimittitis, vale vobis dico, vos præcedens. Et quum ab eo quereretur, cui filium commendaret, ille respondit: Vobis, si dignus fuerit, & Diis immortalibus. Exercitus, cognita mala valitudine, vehementissime dolebant, quia illum unice amabant. Septima die gravatus est, & solum filium admisit: quem statim dimisit, ne in eum morbus transiret. Dimisso filio, caput operuit quasi volens dormire: Sed nocte animam*

efflavit. Fertur, illum mori voluisse, quum filium talem videret futurum, qualis extitit post ejus mortem, ne, ut ipse dicebat, similis Neroni, Caligulae, & Domitiano esset. Hunc autem Commodum Antoninum ejus filium, & Successorem, & quem duobus annis ante mortem consortem regni fecit, non de eo natum ferunt, sed de adulterio unde & fabellam de hac re commenti sunt, quam vide apud cit. Capitolinum.

De ingenti post mortem Marci luctu, ac summis honoribus ei à Senatu, populoque delatis, hæc habet cit. autor. Quum igitur in amore omnium imperasset, atque ab aliis modo frater, modo pater, modo filius, ut cuiusque ætas finebat, & diceretur, & amaretur, decimo octavo anno imperii sui, sexagesimo, & primo vitæ diem ultimum clausit. Tantusque illius amor eo die regii funeris claruit, ut nemo illum plangendum censuerit, certis omnibus, quod à diis commodatus, ad deos rediisset. Denique priusquam funus conderetur, ut plerique dicunt (quod nunquam antea factum fuerat, neque postea) Senatus, populusque non divisis locis, sed in una sede propitium Deum dixit. Hic sane vir tantus, & talis, ac diis vita, & morte conjunctus, filium Commodum dereliquit: qui si felix fuisset, filium non reliquisset. Et parum sane fuit, quod illi honores divinos omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio & dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit. Denique hodieqne in multis domibus M. Antonini statuae consistunt inter Deos penates: nec defuerunt homines, qui somniis eum multa prædictisse futura, & vera concinuerunt. Unde etiam templum ei constitutum, dati Sacerdotes Antoniniani, & sodales, & flamines, & omnia, quæ de sacris decrevit antiquitas.

Itaque mortuus est Marcus, omnium hominum, qui unquam principatum tenuerunt, optimus: verum mortis tempus & modus, vitæ, & regni duratio, variant apud ejus vitæ scriptores. Capitolinus, ut diximus, eum vivisse annos 61. imperasse 18. afferit, ac morbo extinctum. Morbo & in Pannonia periisse confirmat Euseb. in Chron. regnasse autem annos 19. & mensim unum. Sed Joh. Xiphilinus ex Dione Nicæo in vita affirmat, eum vivisse annos 58. menses decem, & dies 20. regnasse vero annos decem, & dies undecim: mortuum denique non morbo, sed à Medicis peremptum. Ejus verba sunt: *Sed is decessit e vita 17. Cal. April. non morbo, quo laborabat, sed (ut ego certo accepi) peremptus à Medicis, qui Commodo gratificabantur.* Mortuus traditur ab Euseb. in Chron. a. Chr. 182. ab Hank. vero 180.

Scripsit de Vita suæ libros 12. qui libelli revera omnis humanæ Sapientiæ sunt apex, & summa, ut ait Casp. Barth. Adversar. I. 60. c. 8. Et Lil. Gyrald. de Poët. Dial. 5. p. 203. Ejus certe librum Græce scriptum legi, cui titulus. Μάρκος Αὐτοῖνος ἐξ τῶν ταῦθ' εἰστοτῶν, ex quo variam, & multiplicem illius sapientiam facile colligere possumus: fuit hic unus inter Cæsares omnes & quissimus, ac optimus. Notandum tamen hoc, quod habet Voss. de Hist. Græc. Vita illa Marci Antonini, quæ ab Antonino Guevara Mendonensi Episcopo, & Cæsare Carolo V. à consiliis, Hispanice edita est, eaque e lingua in alias permultas translata fuit, nihil Antonini habet; sed tota est supposititia, ac genuinus Guevaræ ipsius fætus; qui turpiter os oblevit Lectori, plane contra officium hominis candidi, maxime Episcopi. Habet interim plurima lectu nec injucunda: imprimis vero Principi, unde & Horologium Principum inscribitur. Opus hoc erutum è Palatina Bibliotheca primus in lucem emisit Conradus Gesnerus. Latine vertit Gulielmus Xylander: ejus postea translationem ad incudem revocavit vir clarissimus

simus Mericus Casaubonus, Isaaci filius, eruditas præterea notas, & emendationes addidit. Postea vero recensuit, ac perpetuo commentario illustravit Thomas Gatakerus, vir ~~xp̄m̄trat~~ Cantabrig. anno 1652.

Præclarri hujus Imperatoris, & Philosophi testimonia plurima sunt apud autores, quorum præcipua hic adducam: Suidas: *Quem facilius est tacite admirari, quam laudare, quod oratio nulla hujus viri virtutibus exæquari possit.* Cum enim à prima ætate constantem, & quietam vitam sibi sequendam proposuisset, neque propter metum, neque propter voluptatem, aut lætitiam vultu mutato unquam est conspectus. Philosophos autem stoicos laudat. Fuit autem illorum imitator non solum vitæ instituto, sed etiam disciplinarum studio. Isaac Casaub. ad Henr. 4. Franc. Reg. Epist. quam Polyb. præmisit: *Omnium sapientissimus, atque doctissimus M. Antoninus, quem propter assiduam operam studiis navatam, vulgo Historici Philosophum cognominant, in libris aureis de Vita sua &c. Casp. Barth. Adversar. l. 51. Videtur autem summus omnis memorie Imperator omnia Hominis, Principis, & Philosophi sua officia, monita, rationes, his libris complexus, nec magnopere tamen ordini studuisse, aut eloquentiæ. Gul. Canter. Nov. Lect. l. 7. c. 1. Imperator optimus, atque idem Philosophus tantus, ut hoc meruerit proprium cognomen. Duodecim conscripsit de Officio suo libros, maximæ pietatis, humanitatis, temperantiae, eruditionis, aliarum rerum præclararum testes plenissimos, & cum quibus multorum operosa præcepta collata merito fondere possint.*

Illud tamen æterna memoria dignum non omittam, quod Euseb. in Chron. ad an. Chr. 177. & Joh. Xiphilinus ex Dione Nicæo in Vita, notant, Marco in bello contra Germanos, & Sarmatas, accidisse. Marco cum exercitu adversus Quados pugnante, exercitus à Quadis in locis opportunis interclusus est; quumque aquam habere nullo possent modo, solis calore, & siti jam jam periturus videbatur exercitus, qui nec pugnare, nec secedere satis erat. Sed, addit ex Dione Xiphilinus, *Nubes repente ita coactæ sunt, ut maximus imber aquæ ceciderit, non sine Dei beneficio.* Modus autem, quo portentum hoc ad Christianorum preces accidit, talis ab eodem habetur: *Quum Marcus legionem unam haberet ex militibus Melitenes (hi omnes Christum colunt) ad eum præfetus prætorianorum venit, nescientem in illo prælio quid consilii caperet, timentemque toti exercitui, eique fertur dixisse, nihil esse, quod ii, qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, esseque legionem unam in exercitu hominum hujus generis. Quare cognita, Marcum ab iis petiisse, ut Deo suo supplicarent. Quod quum fecissent, Deum eos exaudisse subito, percussisseque hostes fulmine, ac Romanos pluvia recreasse. His rebus Marcum vehementer obstupefactum, edicto Christianos honore affecisse, ipsamque legionem Κεραυνοβόλον (hoc est Fulmina Jaculantem) appellasse, atque his de rebus Epistola Marci extare dicitur. Græci quidem sciunt, eam legionem Κεραυνοβόλον appellari, ejusque rei testes sunt; causam vero cur ita appellata sit, non dicunt. Dion addit &c. Idem confirmat Euseb. in Chron. inquiens. Exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti opppresso, pluvia divinitus missa est; cum e contrario Germanos, & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant literæ M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam, contestantur.*

Basilidem Scythopolitam, incertæ sejtæ Philosophum, hic memorandum duxi, nam M. Antonini tempore Romæ vixit, cui familiaris, & carissimus fuit, ut Gesnerus, & Simlerus ajunt. L. Veri præceptor quibusdam dicitur: sed à Jul. Capitolino non memoratur. Veri etiam præceptorem facit Euseb. in

Chron. ad an. Chr. 150. ubi : *Apollonius Stoicus*, natione *Chalcidicus*, & *Basilides Syropolitanus* (legendum *Scythopolitanus*) *Philosophi illustres habentur*, qui *Veri quoque Cæsaris præceptores fuerunt*. Sed in nullo *vitæ Veri* scriptore *Basilidis* mentio invenitur.

F A V O R I N U S.

HUic patria *Arelas*, sive *Arelate*, civitas Galliæ *Narbonensis*, regum etiam olim sedes: inde profectus Athenis primum docuit, postea Romæ Sec. 2. Adriani scil. Imperat. ævo, cui supra omnes carus fuit, ut ait *Ælius Spartianus* in *Adriano Cæsare*: *In summa familiaritate Epicetum, & Heliодorum Philosophos . . . habuit; præ ceteris, ut multi asserunt, eminentे Favorino*. Et ibid. Adriani morem omnibus professoribus contradicendi, quod omnium doctissimus videri ambitione tenebatur, exprimens his verbis: *Et quamvis esset oratione, & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctor risit, contempsit, obtrivit. Cum his ipsis professoribus, & Philosophis, libris, vel carminibus invicem editis saepe certavit*. Adriani de quodam *Favorini* verbo prolato reprehensionem, & *Favorini* ad amicos, qui eum de silentio in injusta reprehensione objurgabant, lepidum responsum referens, subdit: *Et Favorinus quidem, quem verbum ejus quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano de verbo, quod idonei autores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: Non rete suadetis, familiares, qui non patimini, me illum Doctorem omnibus credere, qui habet triginta legiones*.

Quidam asserunt, ipsum *Hermaphroditum* fuisse, sed rectius alii eum *Eunuchum* faciunt. Hinc non immerito *Favorinum* hæc tria miratum asserunt, *Quod Gallus* quem esset, optime græce loqueretur: *Quod eunuchus adulterii accusaretur: & quod Imperator, cui in literariis rebus contrarius erat, ipsum in vivis adhuc detinuerit*. Plura scripsit, præcipue *Omnigenas Historicas Sylvas*, à *Laërtio*, ac sui ævi autoribus allegatas. *Favorini* præter *Philostratum* in lib. 1. *Vit. Sophist. & Spartan.* in *Adriano*, meminit saepissime *Agellius*, ut lib. 12. c. 1. ubi ejus dissertationem narrat, qua nobili feminæ suasit, ut liberos, quos peperisset, non nutricum adhibitarum, sed suo sibi lacte aleret, & lib. 14. c. 1. ubi adversus eos, qui *Chaldæi* appellantur, magos, & divinatores, disserit; & c. 2. in quo ab *Agellio* ipso de officio judicis consultus loquitur: & lib. 16. c. 3. in quo eum fandi dulcissimum etiam appellat: & lib. 4. c. 1. ubi cum *Grammatico* quodam jaætantiore sermonem habet. Potissimum vero lib. 2. c. 26. ubi *Favorini*, ac *M. Frontonis* de generibus colorum, eorumque vocabulis philosophicos sermones narrat, & alibi frequentissime, & semper laudabiliter.

P E R I P A T E T I C I.

M A R C U S P I S O

Nobilis Romanus, *Ciceronis* & ipse familiaris, qui l. 1 de *Nat. Deor.* Peripateticorum eo tempore primus & creditus, & habitus, Aristotellis partes contra aliarum Sectarum patronos tuendas suscepit.

X E N A R C H U S

Natus est Seleuciæ, quæ Ciliciæ in Minoris Asia Urbs est; Philosophus Peripateticus fuit; ac primum Alexandriæ, & Athenis, deinde Romæ docuit, ubi Arii Philosophi, ac Cæsar Augusti amicitia clarus extitit. Strabonem adhuc juvenem docuit; quem vide in lib. 14. Paulo ante mortem oculorum lumen amisit.

A N D R O N I C U S R H O D I U S

APATRIAM dictus, secta Peripateticus, Romam venit Ciceronis ætate, & Aristotelis scripta à Tyrannione Grammatico emit, cui Syllæ Bibliothecarius dederat. Hæc in cryptis diu abscondita, situ, tempore, & negligencia fere corrofa, & consumta ad Apelliconem Tejum Atheniensem pervenerant; e cujus bibliotheca Sylla, Athenis captis, Romam adduxerat; ut ex Plut. in Sylla, ubi: *Desumfit sibi Bibliothecam Apelliconis Teit, in qua plerique Aristotelis, & Theophrasti libri erant, haud dum satis in vulgus noti. Ex ea, ubi deportata Romam fuit, ferunt, plurima intervertisse Tyrannidem Grammaticum, à quo accepisse Andronicum Rhodium exemplaria, eaque in lucem edidisse, & vulgasse hos, qui nunc manibus teruntur indices. Enim vero Peripateticici antiquiores videntur illi quidem elegantes fuisse, & eruditissimi, sed Aristotelis, & Theophrasti scripta neque pleraque, neque exacte volvisse: verum ob hæredem Nelei Scepsii, cui libros suos reliquit Theophrastus, ea ad inertes homines cedisse atque indoctos. Primus igitur Andronicus Aristotelis scripta omni cura emendavit, instauravit, & publici juris fecit. Vide etiam hujus Hist. Phil. lib. 3. c. 8. p. 107. ubi de Arist.*

N I C O L A U S D A M A S C E N U S

QUIA Damasci natus, Philosophus Secta Peripateticus, Poëta, & Historicus omnium sui ævi celeberrimus, Augusti tempore vixit; cui carissimus fuit, sicut etiam Herodi magno Judæorum Regi. Scripsit Historiam universalem Assyriæ libris 80. ex Suida 124. ex Josepho, vel 144. ex Athenæo; quæ tamen intercidit: quicquid dicat Gesnerus, qui ait extare Venetiis. Alia etiam scripsit, quæ nonnisi ab autoribus citata inveniuntur. Ejus tamen fragmenta à Porphyrogeneta Constantino collecta, & quæ D. Perefcius ex Cypri insula sibi adducenda curavit, Henricus de Valois Parisiis Greco-Latina edidit a. 1634.

A T H E N Æ U S

PHilosophus Peripateticus, & Orator, Seleuciæ in Cilicia natus, Murenæ familiaris vixit tempore Augusti, sub cujus imperio Romam venit, & tempore Pertinacis, atque Severi. Detecta Murenæ in Augustum conspiratione, cum ipso Urbe aufugit. Sed Athenæi innocentia perspecta, libertate donatus est. Ex casu tamen domus, in qua degebatur, obiit. Ex Strabone l. 14.

Fuit & alter Athenæus Naucratita Grammaticus, qui sec. 2. sub M. Aur. claruit, & libros 15. Δευτηνοσοφισῶν, *Diphysoplistarum*, varia eruditione referitos, conscripsit, sic dictos, quia in ipsis Sapientes, dum mensæ assident, varia erudita multa colloquentes proponuntur; itaut Philosophos convivantes, sive convivas Philosophantes dicas. Hoc opus haud integrum ad nos pervenit,

ut

ut notat Hofmannus, quod sane varium, & eruditum est; Sed ejus tantum Epitome ab Hermolao Byzantino relicta. Hos libros commentariis illustravit doctissimus Isaac Casaubonus; qui in Proleg. ipsum Scriptorem πολυμαθίσατο, *Multiscium*, *Græcorum Varronem*, aut *Plinium*, vocat. Vide Suidam in Athen. & Voss. de Hist. Græc. l. 2. ubi: *Maximos ingenii, doctrinæque sua fructus percipit à posteritate quindecim libris Dipnosophistarum, quorum & excerpta supersunt, sive, ut mutilator ipse appellavit, Παρεκβολαι.*

ALEXANDER ÆGÆUS

PHilosophus Peripateticus, præceptor Neronis Imperatoris una cum Chæremone Philosopbo: filium autem habuit Cælium nomine. Hic vocabat Neronem Lutum sanguine inquinatum: malis discipulis, ut puto, pejores magistri. Suid. in Alexand. de hoc etiam dictum supra in Seneca.

ALEXANDER APHRODISIENSIS

Sic dictus, quia in Carlæ promontorio, quod Aphrodisium dicitur, natus est. Vixit in fine secundi, & principio tertii seculi, usque scilicet, ut ajunt, ad Severi, ejusque filii Caracallæ imperium. Primus hic Peripateticam Philosophiam, quam M. Antoninus Philosophus, ejusque frater, & Imperii consors L. Verus, Romæ instituerant, professus est, & commentariis illustravit, ut ipse in iisdem Commentariis affirmat: unde Εὔγυντης Interpres à Græcis dictus est. Nam præterquam quod omnium interpretum antiquissimus extitit (Hermini enim, Alexandro vetustioris, præter pauca fragmenta, quæ nunc extant, Commentaria in Arist. perierunt) Aristotelis doctrinam omnium optime sequitur, & defendit: unde particularem sectam instituisse yisus est, Alexandream dictam: nec quisquam Aristotelicus habebatur, nisi & idem esset Alexandreus. Hic cæteris, iisque innumeris, Aristotelis Commentatoribus dux fuit, unde, quia reliquis præstat, ipse præ aliis legendus multorum judicio ducitur. Ex his Alexandri Commentariis veros Aristotelicorum sensus Plotinus didicit; atque ipsum, refert Divus Hieronymus, eosdem latinitate donasse, ut magis in Aristotelis doctrina proficeret.

Alius ab hoc omnino fuit Alexander M. Crassi Præceptor, Philosophus item Peripateticus; de quo ita Plutarch. in vita M. Crassi. Et verò etiam aliquid Philosophiæ operæ dedisse addicetus Aristotelis scriptis, quorum habuit Alexandrum doctorem. Is facilitatis, & mansuetudinis documentum ex Crassi contubernio dedit: quippe non facile dixeris, egentior ad illum venerit, an apud eum factus sit. Solus enim ex amicis peregrinantem semper comitans lectorum accipiebat, quam reposcebatur reversus. Hem patientiam: cum tamen paupertatem bujus miseri professio non numeraret indifferentem.

THEMISTIUS

COgnomento Euphrades ab eloquentia dictus, Philosophus Peripateticus, & Orator eximius, patre natus Eugenio, Philosophiæ in Paphlagonia Professore sapientissimo, sub quo in Philosophia multum profecit: deinde in Ponto Asiæ præclaris artibus fuit institutus. Sub Juliano Apostata vixit, à quo Constantinopolis τύπαχος hoc est, Princeps, sive Proprætor & à Constantio Prætor factus est. Floruit etiam sub Joviano, Valente, & Valentia.

niano Imperatoribus, Apostatæ & successoribus. Quamvis hic religione paganus esset, Christianos tamen non oderat: imo & ipsis totis viribus patrocinatus est apud Valentem Imperatorem, qui, quod hæreticus esset, & Arianorum Episcoporum consilio, ipsos persequebatur. Quum igitur plurimum in Aula valeret, fortí quidem oratione Imperatorem mitem reddere conatus est, qua id potissimum probabat, majorem esse sententiæ divisionem inter Idololatras, quam inter Christianos, & quod homines frugi, & immeritos persequeretur: atque ideo Christianos ad necem usque non esse persequendos. Scripsit hic Commentarios l. 8. in Physicam Aristotelis: In Analytica l. 2. in libros de Anima l. 7. Librum unum de scopo, & Titulo libri Categoriarum &c. Proprias etiam concinnavit Dissertationes, de Interpretatione scilicet & Inscriptione Prædicamentorum: & Disputationes quasdam. Libros Themistii Paraphrasticos Hermolaus Barbarus Latinos reddidit: Hæc autem tralatio improbat à Voss. de Philos. p. 8. qui veterem, quæ apud Carpetanos delitescere dicitur, desiderat. Philosophiam Antiochiae imprimis, Nicomediae, & in Galatia, & Constantinopoli, & Romæ professus est. Romani eousque ipsum demirati sunt, ut ad Imperatorem viros delegaverint, qui procurarent, ut illum apud se remanere adigeret. Quod tamen consequi nequiverunt, nam Constantinopolim repetere maluit. Cum Gregorio Nazianzeno familiariter vixit, ut ex Gregorii literis ad eum scriptis constat. Vide Acta Erudit. Mens. Octobr. 1685. Falso autem quidam asserunt, Themistium Alexandri Aphrodisiensis abbreviatorem fuisse; nam ab eo & serie variat, & saepe etiam sententia. Themistium Divus Augustinus lib. de Categor. c. 22. præceptorem suum, egregium sua memoria Philosophum; & Cassiodorus diligentissimum scriptorem, ac lucidum, & omnia ad facultatem intelligentiæ reducentem, vocant. Extant & ejus Orationes ad Imperatores, sub quibus vixit, à Mureto commendatae, & à Dionysio Petavio, & Ioh. Harduino Soc. Jesu notis illustratae; Parisiis editæ in fol. 1684. Vide Phot. in Biblioth. Sozom. Suid. Casaub.

ANICIUS MANLIUS TORQVATVS SEVERINUS BOETHIUS

ROMÆ ex nobili Aniciorum, & Torquatorum genere natus claruit in fine quinti, & principio sexti seculi, tempore scilicet Anastasi Imperatoris, & Theodorici Gothorum Regis. P. Caussinus in vita afferit, ejus familiam nobilem mille ante ipsum annis extitisse. Et profecto inter Manlios celeberrimus primus fuit M. Manlius, qui Capitulinus, & Conservator patriæ dictus est, quia anno Urbis 364. Capitolium in extrema Urbis necessitate contra Gallos fortissimus dux defendit. Sed in judicium delatus, quod Reip. statum hac strenua defensione pro Pop. Romano habita immutare vellet; ex eodem Capitolio, quod propugnaverat, præceps missus obiit, an. Urb. 370. Qua de re ita Agel. l. 17. c. 21. Et M. Manlius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolij obrepenteis per ardua depulerat, convictus est, consilium de regno occupando iniisse; damnatusque capitatis saxo Tarpejo, ut M. Varro ait, præceps datus; ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est.

Secundus in hac familia fortissimus ille fuit Manlius, qui, dum Tribunus Militum esset, ducem quendam Gallum singulari certamine interfecit coram exercitibus Romano, & Gallo. Quo necato, torquem peremti ducis proprio suspendit collo: unde & Torquati nomen accepit, quod in omnes familias posteros derivavit. De hoc sic Cic. 1. de Fin. Neque eum Torquatum, qui

hoc

hoc prius cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse &c.

Hic idem illustris hujus familiæ Heros ille fuit, qui Consul à Rep. designatus exercitibus imperans an. V. 414. proprium filium capitis damnavit, quod ipsius & Consulis, & patris dignitatem non sit veritus, dum ipso inconsulto hostem dissipavit: sique leges à Rep. conditas, ne quis scilicet inconsulto maximo exercitus duce, in hostem irrueret, proprio filii sanguine firmavit, ut justus Consul magis, quam amans pater esse videretur. Tandem divus Hieron. Boëthii familiam adeo illustrem fuisse affirmat, ut vix unum in ea repereris, qui Consulis dignitatem vel non habuerit, vel non meruerit. Observa hic, labi penitus P. Caussinum in Vita Boëthii, ubi ait, Manlium hunc Consulem, qui proprium filium morti dedit, alium à Manlio fuisse, qui Torquati cognomen à torque conquisito familiæ dedit; unde & tertium Heroëm hunc Manlium appellat. Cicero enim, præ ceteris, omnibus 1. de fin. eundem fuisse ostendit, dum ait: *Sed ita prorsus existimo, neque cum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet corporis voluptatem, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim propter voluptatem.* Quod vero securi filium percusserit, privavisse se etiam multis voluptatibus: cum ipsi naturæ, patrioque amori prætulerit jus majestatis, & imperii. Ex quibus Ciceronis verbis id etiam educitur, Torquatos hos Manlios, Boëthii maiores, Epicureos fuisse. Imo & Epicuri partes acerrime cit. Cic. l. tuerur Torquatus.

Quum Theodoricus Gothorum Rex Imperii dignitatem assumfit, Boëthius elegantem habuit orationem ad populum. Quare statim ab Imperatore & Consul, & primus Aulæ minister factus an. Chr. 510. ab ipso ut oculi pupilla diliebat; ac nihil pro regno, nisi consulto Boëthio, decernebat. Primus minister, ac supremus Imperatoris Consiliarius electus, justa quæque, & Sancta Principi insinuabat. Nedum autem ipse ter Consul ab Imperatore eleitus, sed & ejus filii in tenera adhuc ætate Consulatus dignitate, honoraria tamen, insigniti, curru, honoris dicto, vecti, Senatoribus, & populo stipati per Urbem ibant. Gebertus l. 2. Epigram.

*Tu pater, & patriæ lumen, Severine Boëthi,
Consulis officio rerum disponis habenas,
Infundis lumen studiis, & cedere nescis
Græcorum ingeniis*

Philosophiam, Theologiam, Matheſeos partes omnes optime callebat. Praeclaram ejus disciplinarum omnium, quas Athenis didicerat, eruditionem summis laudibus testatus est idem Theodoricus in epistola ad ipsum missa, quam magnus Cassiodorus Theodorico à Secretis, & epistolis l. 1. Variarum Epist. 45. notavit: in qua scribit, Boëthium Atheniensium spoliis ditatum esse, per quæ etiam Italis Pythagoræ, Ptolemæi, Nicomachi, Euclidis, Platonis, Aristotelis, & Archimedis scripta innotescere curavit. Aristotelis Philosophiæ addictus fuit: cuius libros primus Latinorum & Latinos reddidit, & doctissimis Commentariis illustravit.

Sed ò instabilem Principum gratiam! ò varios, & mutabiles fortunæ casus! Gothorum quidam primores, quos Theodoricus ad supremos Aulæ honores exaltaverat, quod Boëthio inimici essent, ipsum prodictionis reum Theodoricu accusarunt; atque ad hanc ipsorum calumniam probandam fictas Boëthii ad Anastasium in Oriente Imperatorem literas ostenderunt, quibus ipse Regnum prodere videretur. Quare Theodoricus Boëthium ut proditorem putans, quod recuperandæ Reip. libertati studeret, extorrem una cum socero Symmacho Senatore, Romanorum nobilissimo, gravissimoque viro, Ticinum misit, eorum

po-

potentiam timens, quia senatores erant potiores. Ibi cum Symmacho sex mensis custodia detenus, aureos illos, ac nunquam satis laudatos *Libros quinque de consolatione Philosophiae* composuit: ac tandem die 23. Octobris an. 524. una cum socero capitis pena damnatus ultimum diem obiit. Baronius Boëthium inter Martyres adnumeratum afferit. Julius Martianus Rota, qui Boëthii vitam accuratius scripsit, ait ipsum obtruncatum caput propriis manibus gestasse, usquedum animam ante altare cujusdam Ædiculæ, non longe à Martyrii loco sitæ, efflaret. Ejusdem etiam Theodorici jussu Johannes Pontifex hujus nominis Primus, eandemque ob causam, Ravennæ in carcere obiit.

Scripsit præterea Philosophica, & Theologica multa, quæ Henricus Loricius Glareanus collecta simul edidit an. 1546. Duos reliquit filios Boëthium, & Symmachum, qui & ipsi Consules, honorarii tamen, a. 522. fuerunt, ut modo dictum. Quidam Boëthio alios Tractatus tribuunt, qui ejus non sunt; ut *De Disciplina Scholarum*, cuius autor est Dionysius Carthusianus. Vide cit. Jul. Martianum Rota in ejus vita, Baron. Possevin. Voss. Caussin. atque alios. De ejus scriptis hæc autorum quorundam censura.

Julius Scaliger in Hypercritico p. 825. Boëthii Severini ingenium, eruditio, ars, Sapientia, facile provocat omnes autores, sive illi Græci sint, sive Latini. Seculi barbarie ejus Oratio soluta deterior invenitur; & quæ libuit ludere in Poësi, divina sane sunt, nihil illis cultius, nihil gravius; neque densitas sententiarum venerem, neque acumen abstulit ardorem. Evidem censeo, paucos cum illo comparari posse &c. Vossius de Poëtis Latinis: *Vir Latine, & Græce doctissimus*, in omni disciplinarum genere excellens, & quo Roma à Varronis temporibus non habuit undecumque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, ostendunt libri quinque de *Consolatione Philosophiae*, quos exsul Ticini scripsit. Omnino nihil in Poësi venustius habuit vel illud ænum, vel etiam quod proxime antecessit. Lilius Gyraldus de Poëtis: Fuit Boëthius in omni disciplina egregie doctus, quod liquido ex ejus monumentis constare potest. In pangendis versibus mira usus est facilitate. Politianus in Miscellaneis: *Quis Boëthio vel in dialecticis acutior, vel subtilior in Mathematicis, vel in Philosophia locupletior, vel in Theologia sublimior*. Atque idem Politianus Alberti Magni, & Divi Thomæ, qui ejus opera commentariis illustrarunt, in hanc rem sententiam adjecit. Barthius Adversar. I. 17. C. 13. Severini Boëthii ingenium neque ante se multos, neque post se aliquem toto Romani Imperii tempore habuit similem. Vide etiam Erasmus in Ciceroniano; Rapin. in *Reflexionibus*; Bertihum in *Præfat. ad Consolat. Philosoph.* &c.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS

Cretensis, sed ex paterna origine Trapezuntius dictus, natus est an. 1396. Obiit verò maxime senex, itaut ultimis vitæ suæ temporibus, absuntis spiritibus, ac cerebro debili reddito, literarum prorsus oblitus fuerit. Romam venit sub Eugenio IV. ibique plures annos Rheticam, & Philosophiam docuit Peripateticam, cui unice addictus, & propugnator fuit acerrimus; Platonii tamen iniquior semper extitit, cuius nec laudem ferre unquam potuit. Ejus etiam dogmata, & mores peracerbe, & insolenter, edito famoso volume laceravit. Quam arrogantiam Cardinalis Bessarion, eximius Platonis patronus oppugnavit. Eugenii successor Nicolaus V. eum Pontificium scribam fecit.

fecit. Græcos autores quosdam Latinos fecit, inter quos Aristoteles, Hermogenes, & Eusebius Cæsariensis sunt; ab hoc tamen Arianorum erroribus prius amputatis, sensu perverso, phrasibus labefactatis, capitibus pluribus ab opere ablatis, totoque decimoquinto libro prætermisso, ut vel ipse Eusebius, si reviviseret, se ipsum apud Trapezuntium non agnosceret, ut notat Baillet in Eruditorum Judiciis Gall. Dallæus, & Perroniana ipsum sic arguunt: *Sæpe labitur, & haud fidelem se præstítit in transferendis è Græco autoribus.* Boisnardus Trapezuntii *diuīgīas* literarum, in extremo senio affligentem, qua legendi, scribendique penitus oblitus est, enarrans, hanc oblivionis causam subdit: *Propterea quod ejus opera Pontifici Maximo oblata, centum ducatis tantum compensata fuissent.* Is autem è Vaticano Palatio domum se conferens, indignatione percitus ex ponte Ælio pecuniam ab ingrato acceptam in Tiberim abjecit, addita exclamazione: *Perire labores, pereat & eorum ingrata merces.* Raphael Volaterranus ejus se discipulum fatetur l. 2 r. ubi ait: *Quem ego senem puer docentem audivi.* In extrema senectute oblitus erat omnino literarum, solusque per Urbem baculo nixus incedere malebat. Voss. Inst. Orat. l. 4. c. 3. . . . Minime profecto conferri meruit cum Theodoro Gaza, cui eum æquiparavit Angelus Politianus, &c. Vide eundem etiam de Hist. Lat. l. 3. c. 8. Paul. Jov. Leon. Allat. Huet. & Isaac. Bullart. in Acad. Scient. Fama etiam est, ejus filios Joh. Regiomontanum veneno sustulisse, quod hujus gloria patris gloriam obscurasset. Mortuus est a. 1468. ut ait Morery, sive 1486. ut vult Konig. ejusque Apologiam filius, infelici tamen fama, contexit.

E P I C U R E I.

C. VELLEJUS

Senator Romanus L. Crassi, & Ciceronis familiaris, qui in Dialogo Cic. l. 2. de Nat. Deorum Epicuri partes tuetur adversus Cottam, qui Platoni, Pisonem, qui Aristotelis, & Balbum, qui Stoicorum doctrinam propugnabant. De Vellejo sic Cic. l. c. . . . & cum C. Vellejo Senatore disputantem: *ad quem Epicurei primas ex nostris hominibus deferebant.* Ubi omnem de Diis Epicuri doctrinam exponit ita luculenter, ut pauci Græcorum cum ipso conferri possint. Zenonis discipulus fuit.

C A T I U S

EPICUREUS INSUBER, qui ante Ciceronem & vixit, & obiit; de quo idem Cic. epist. ad Cassium lib. 15. *Nam, ne te fugiat, Catius Insuber Epicureus,* qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, etiam ante Democritus ἀδωλα, hic spectra nominat. Idem eod. lib. eundem Catium, & Amafanium (seu Amafinium) malos verborum interpretes appellat. Vide etiam Horat. sat. 4. l. 2. quæ incipit: *Unde, & quo Catius?* & Lambinum in Comment. ubi ait. *Hunc inducit Horatius apud se querentem, & cogitantem, quibus nominibus utatur in interpretandis, & Latine exprimendis Epicureis quibusdam præceptis, quæ ad artem culinariam, convivialique apparatus, obsonia, condimenta, & similia pertinent.*

T. POMPONIUS ATTIGUS

EQAES Romanus, à patre literarum amantissimo ortus, à quo summa cura in optimarum artium studiis institutus fuit. Ciceroni coævus, & perpetuo fami-

familiaritatis jure conjunctus vixit; ut ipse in Epist. ad eundem Atticum testatur his verbis: *Mibi nemo est nec amicior, nec jucundior Attico.* Excellentis vir ingenio ob civile bellum inter Cinnam, & Syllam Athenas secessit; ubi diu moratus Atheniensium omnium gratiam suis moribus elegantissimis, & liberalitate promeruit. Unde & statuas, quas sibi praesenti erigi passus non fuit, absenti tamen, ut Corn. Nep. ait, sanctissimis locis exerunt. Ibi ingenuas disciplinas, ac in primis Philosophiam didicit Epicuream, ut Cic. saepe testatur; sic enim de Fin. 1. *Omnes mibi Epicuri sententiae satis notae sunt; atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi; atque alibi passim.* Et 3. de Leg. ipsum laudans ait: *Quid enim est elegantia tua dignius? cuius & vita, & oratio consecuta mibi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate.* L. etiam Sausejum, equitem Romanum, aequalem sui, qui complures annos, studio ductus Philosophiae, Athenis habitavit, ejusdemque Sectae Philosophum, amicissimum habuit. Atticus Philosophicæ probitatis, omnisque virtutis exemplar fuit: de quo, omissis aliis, haec præcipue ex Corn. Nep. adnotanda. *Mendacium neque dicebat, neque pati poterat.* Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum cum amici magis vererentur, an amarent. *Quicquid rogabatur, religiose promittebat; quod non liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri, quod prestare non posset,* &c. Ejus autem virtutum hanc rationem addit: *Nam & principum Philosophorum ita percepta habuit precepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.* Græcam, autem linguam sic optime didicit, ut ipsa non secus ac Romanâ loqueretur, & Attici inde nomen assequeretur. Cic. 5. de Fin. Athenis se collocavit, ut sit pene unus ex Atticis, ut id etiam cognomine videatur habiturus. Et Corn. Nep. in Vita: *Sic enim Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur.* Ipsum Sulla Athenas ex Asia veniens, quamdiu ibi fuit, secum habuit: cui omnia munera, quæ Athenis acceperat, proficisciens jussit deferri. Atticus pecuniosus cum esset; ejus tamen liberalitas neque temporaria, neque callida unquam fuit. Deinde pacatis in Rep. omnibus, Romam reversus, haeres ex dodrante à Q. Cæcilio avunculo suo factus est. Attici sororem Q. Cicero, M. Tulli germanus, uxorem duxit: ex quo M. Tullius Cicero cum Attico amicitiam arctius constrinxit. Cum Attico etiam familiaritatem Q. Hortensius, Orator celebris, insignem habuit. Cæsare, & Pompejo, M. Antonio, & Bruto Urbe civili bello vexantibus, Atticus, quia nemini magis adhaesit, omnibus æque carus fuit. Agrippa quoque Atticum tanti semper fecit, ut filiam ejus Pomponiam uxorem duxerit. Oblatos sibi honores, & Reip. dignitates omnes Atticus, quod veri Philosophi est, abdicavit. Atqui privatam vitam agens, studiis, Philosophiae potissimum, semper vacabat: atque ideo servos, qui coram ipso legere, vel exscribere callerent, sibi adsociavit. Extrema senectute, magis autem studiis confectus obiit an. ab U.C. 721. ætatis vero 77. ex tenesmo, & inde exerto intestinorum ulcere. Scripsit Annales, quorum meminit etiam Plut. in Annibale; Elogia virorum illustrium: atque alia Græce æque, ac Latine. Librum Græce confecit de Consulatu Ciceronis. Versibus etiam plura scripsit. Philosophice vixit, philosophice mortuus est, contentus equestri ordine, quo erat ortus, qui sua virtute omnibus semper carus, & gratus, in affinitatem etiam pervenit Imperatoris Divi Julii filii, cum jam ante familiaritatem ejus esset consecutus. Vide Cornel. Nep. in Vita: Cic. in Bruto, in Epist. ad Atticum, atque alibi: Plin. l. 35. c 2. &c.

Fuit & alter Atticus Platonicus, qui sub Commodo imperio floruit. Scripsit hic Historica quædam. Hujus meminit Eusebius sub anno 179. Vignier sub

an. 177. Scripsit etiam libros 7. quibus Platonis cum Aristotele, contra Taurum Berytum, probavit consensum: Dialogum in Categorias, hodie quoque superstitem: septem item libros in easdem, Simplicio allegatos: Commentarium in librum de Interpretatione, allegatum Boëthio. Ut taceam quæ in libros de Anima scripsit, cum pateat ex Suida, eos Atticum confutasse potius, quam explicasse; quod & Theodoritus confirmat.

T. L U C R E T I U S C A R U S.

DE hoc dictum est lib. 3. c. 15. hujus Hist. in Epicuro, Poëtam Latinum fuisse, ex illustri Romanorum familia ortum; qui Athenas ad disciplinas comparandas à parentibus missus, Epicureanam Philosophiam sub Zenone, & Phædro Epicureis edocetus, ipsam sex libris sub titulo de *Natura rerum* (*Physicam enim tantum tractat*) heroico carmine descripsit: ac tandem potu philtrei amatorii, ipsi à Lucilia exhibiti mortuus est an. ætat. 42. vel 43. Olymp. 181. Quum autem ei præcipuus inter Romanos locus debeatur; addenda de ipso hic quædam sunt. Euseb. in Chron. ad Olymp. 171. Titus Lucretius Poëta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniæ conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit an. ætat. 43. Et Ciceronem quidem, & Varrorem parum ætate præcessit. Lucretium in sua natura elegantem, sed difficilem esse testatur Quintilianus. Quam Quintiliani Sententiam miratus Gaspar Barth. Adversar. l. 43. c. 2. ait: *Itane difficilis Lucretius, qui simul & elegans? . . . Itaque quid difficultatis, aut quos nodos hic reperit Fabius, ego fateor, me perspicere minime posse.* A Corn. Nep. Vellejo Paterculo, & Cic. laudatur: à Vossio de Art. Grammat. Optimus Latinitatis autor; & ab Agell. l. 1. c. 21. Poëta ingenio, & facundia præcellens, dicitur. Fur. Albinus apud Macrob. Nemo debet antiquiores Poëtas ea ratione vidiores putare, quod eorum versus nobis scabri videntur. Ille enim stylus maxime tum placebat: diuque laboravit ætas secuta, ut magis huic molliori stylo acquiesceret. Itaque minime defuerunt, imperantibus Vespasianis, qui Lucretium pro Virgilio, & Lucilius pro Horatio legerint. Ovidius etiam Lucretium magni æstimavit. Inquit enim l. Am. el. 15.

*Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras quum dabit una dies.*

Et Gasp. Sciopp. de Arte Critic. p. 93. dicere audet: *Et verò semel, ut cum Lambino dicam, sciat lector, neminem in tota lingua Latina Lucretio melius latine esse locutum: non M. Tulli, non C. Cæsaris orationem est puriorem.* Quod confirmat Scaligerana l. p. 104. Lucretius bonus liber est: nec melior alius autor linguae latiæ. Virgilius ab eo multa desumfit. Et Jul. Cæs. Scal. Comment. in Arist. Hist. Animal. Lucretium *Virum divinum*, atque incomparabilem appellat. Sed sanior videtur censura, quæ habetur in Liter. Rep. Novell. Gall. Jul. 1685. p. 812. In Lucretii versificatione tot ad eloquentiam dispositiones eluculent, ut, si Augusti tempore vixisset, cum Virgilio de palma certare potuisset . . . Sunt tamen Critici quidam, qui Lucretium supra omnes Latinos Autores extulerunt. Nimium hoc est: sufficit illum inter bonos collocare. Vide etiam P. Crinitum, Gassend. in Vit. Epic. Possevinum in Biblioth. Select. atque alios.

L U C I A N U S

SAmosatensis, quod Samosatae ortus sit, quæ Syriæ civitas est Comagenes caput, non longe ab Euphrate: unde se ipsum Syrum, & Assyrium non semel nominat. In *Bis Accusato* se Syrum Rhetorem vocat; & sub fine *Apologiæ pro mercede conductis* inter quæstuos Rhetores locum sibi fuisse ait: etiam caussidicū se dicit in *Piscatore*, ubi caussas quoque agere cur deſierit, & animum ad scribendum appulerit, docet. Quadragenarius philoſophari cœpit, ut est in *Hermotimo*. Aperte se Philoſophum profitetur in *Piscatore*. Suum genus, educationem, & studia exponit in *Somnio*, ubi statuariæ artis primis vitæ annis initiatum videbis. Jam senior in Aulam, & familiam Cæſaris se contulit, & Procuratoris Principis in Ægypto conditionem accepit; ut est in *Apologia pro Mercede conductis*. De eo sic Suid. *Lucianus Samosatensis*, cognomento blasphemus, sive maledicus, aut atheus potius appellatus, eo quod in Dialogis suis ridicula etiam illa esse proponit, quæ de rebus divinis, & sacris prodita sunt. Dicitur autem vixisse temporibus Trajani Cæſaris, & deinceps. Cæterum fuit ab initio caußidicus Antiochiae, quæ in Syria est. Sed cum ea res illi non satis ex sententia succederet, ad scribendum sese convertit, scriptaque adeo infinita. Obiisse autem ipsum, fama est, à canibus laceratum, quoniam & contra veritatem velut rabiem exercuisset. Nam & in vita Peregrini Christianismum quoque insectatur, ipsum Christum contumeliose incessit, sceleratus ille. Quare & rabiet istius pœnas sufficenter in præsenti vita dedit, & in futurum hæres æterni ignis una cum Satana erit. Michaël Vologiterranus, quo autore nescio, addit, eum ab initio Christianum fuisse; deinde ejusdem Fidei desertorem factum, dixisse, se nihil ex ea consecutum præter sui nominis corruptionem, quod ex Lucio Lucianus dictus fuerit.

Omni Deorum metu sublato, Epicureorum Sectam secutus est. Philoſophiæ, & Mathematicæ, & Astrologiæ potissimum operam dedit, de qua etiam scripsit. *Nugator festivus* ab Erasmo appellatur, & à Lud. Viv. *subſannator Deorum*, & *hominum*: quæ enim in Deos omnes, præcipue in Christianum Dominum fœdissimo ore δύσφημος, καὶ βλάσφημος ille evomuerit, ne dum lingua referre, sed & calamus horret exſcribere. Et acriter quidem contra Deos Ethnicos, ipsorumque ridiculous cultus invehitur in Dialogis Deorum omnibus, præcipue in *Concilio Deorum*, atque in *Jove Tragœdo*. Religionem omnem, tum Christianam in *Philopatre*, tum Ethnicam in *Cynisco* ludibrio habet. Nullus est, quem attingens non aliquo feriat scommate. Philoſophos comica dicacitate insectatur: ac contra ipſos, eorumque Sectas declamat in *Bis Accusato*, in *Hermotimo*, sive *de Sectis*, in *Dialogo contra Indoctum multos libros ementem*, in *Timone Misanthropo*, in *Navigio*, in *Cynico*, &c. nullam Philoſophorum Sectam probans, quod nec eorum doctrina, nec qui eam professi sunt, quod promiserant, præstiterunt. Hinc Gilbertus Cognatus, & Erasmus, Luciani cæteroqui patronus in Epist. *Præcipue Philoſophis infestus*, atque inter hos Pythagoricis potissimum, ac Platonici ob præstigias: Stoicis item propter intolerandum supercilium, hos punctum, ac cæsim, hos omni telorum genere petit; idque jure optimo. *Quid enim odiosius, quid minus ferendum, quam improbitas, virtutis professione personata?* &c. Ad Philoſophos tamen inſtantos, ac proſcindendam Philoſophiam impulsum eum fuisse, scribit Vives, invidia Plutarchi Chæronensis, quem in magno honore esse apud Trajanum Cæſarem invitus, & dolens videbat. Scripsit autem *Dialogos*, Platonis exemplum secutus, præter hos, plures: *Vitam Demonadis*; librum *de Longævirs*, atque alia, quæ multorum opera è Græco in Latinum versa habemus. *Quam-*

Quamvis autem libri ab eo conscripti plurimi sint ; ad nos tamen non nisi 171. pervenerunt . Luciani porro Epigrammata 32. leguntur passim in magno volumine Epigrammatum Græcorum . Billius etiam Epistolas , quæ Phalaridis nomine circumferuntur , eidem tribuit , & Guilielmus Philander Castilianus in suo in Vitruvium Comment . Vitam Apollonii Tyanei octo libris conscriptam ipsi adscribit .

Mortuum tradit Suidas , ut diximus , & hunc secuti Hieronym . in Catalogo , Hofmannus in Lex . atque alii , à canibus devoratum . Verum Gilbertus Cognatus ipsum podagra consumptum obiisse putat annos natum 80. ut in 6. Narrat . scribit .

De ejus scriptis , in quibus Historica , Philosophica , & Erudita , dicitatis tamen semper referta , continentur , hæc est autorum censura . Declarator insignis , & scriptor præstantissimus à Hieronym . & Hofman . dicitur , & facetissimus . Lactant . de Fals . Relig . c . 9 . Lucianus nec Diis , nec hominibus pepercit . Lud . Viv . de Verit . & Fid . Christ . I . 2 . p . 126 . Pessime Lucianus Samosatenus Sophista , qui adimens hominibus veterem , ac receptam religionem , non saltē reponeret novam aliquam . Quod irriteret antiquas dementias , ac insanias , recte id quidem ; sed alia debebat substituere potiora . Sublatis enim prorsus religionibus , quid aliud , quam hominem sine humanitate relinquebat ? Cœl . Rhodig . I . 9 . Lect . Antiqu . c . 19 . Lucianus homo fædissimus , loquentiæ multæ , at sapientiæ minimæ . Ejus phrasim laudat Lud . Viv . de Trad . Discipl . Luciani verba sunt terfa , & pbrafs dilucida . Isaac Casaub . de Rom . Satyr . I . 2 . p . 268 . Lucianum à Menippo non pauca esse mutuatum , & in multis æmularum fuisse , non dubito : sed facies orationis tota diversa . Quin ipse gloriatur , novum scribendi genus se inventisse : ac sub comica jocofitate gravitatem Philosophicam occuluisse : Tandem ejus encomiasta Erasmus Epist . I . 29 . ep . 5 . sic ejus laudes contexit : Tantum obtinet in dicendo gratiæ , tantum in inveniendo felicitatis , tantum in jocando leporis , in mordendo aceti , sic ritillat allusionib . , sic seria nugis , nugas seriis miscet : sic ridens vera dicit , vera dicendo ridet : Sic hominum mores , affectus , studia quasi penicillo depingit : neque legenda , sed plane spectanda oculis exponit , ut nulla comœdia , nulla satyra cum bujus Dialogis conferri debeat , seu voluptatem species , seu species utilitatem . Vide etiam Phot . cod . 128 . Voss . de Philos . sect . p . 57 . Gilbert . Cognatum , & Jacob . Luingerum .

R E L I Q U I E P I C U R E I .

Sequentes etiam Epicureis Philosophis accensentur à L. Cozzando de Magist . Veter . Philos . lib . 6 . cap . ultimo : quos ex eodem propriis verbis exscribere , & quædam , quum extant , ex aliis decerpta addere fas sit .

PHIODEMUS GADARENsis nobilissimo genere satus Sectam secutus est Epicuream , clarusque in ea Philosopbus fuit . Meminit ejus Asconius Pædianus , & Strabo , qui lib . 16 . inter illustres Gadare viros eum commemorat . Vixit Ciceronis ætate , & fortasse Horatii . Nimirum Lilius Gregorius Geraldus eundem plane esse suspicatur , quem nominat Horat . lib . 1 . Serm . Sat . 2 . Poeta hic fuit , cuius meminit Cic . Orat . in Pisonem . Vide etiam Gassendum in Vita Epic . I . 2 . c . 6 .

POMPILIU斯 ANDRONICUS natione Syrus , studio Epicureæ Sectæ Romæ illustris emicuit , docuitque tempore M . Antonii Gnifonis , quem Cicero audivit etiam cum Prætura fungeretur : cuius quidem Attejus Philologus Atheniensis discipulus fuit , duobusque claris historicis Sallustio , & Asinio Pollio fami-

familiaris. Atteji verò discipuli Appius, Pulcher, & Claudi fratres, quorum etiam comes in Provincia fuit. Nescio unde hauserit Cozzandus, hunc M. Pompilium Andronicum Philosophum fuisse; cum à Suetonio de Illustribus Grammat. aliisque Grammaticus tantum eximius memoretur. Hic Julius Cæsar's præceptor fuit; atque Cumam secessisse fertur; ubi ad ultimam egestatem deveniens, Annales, quos composuerat, ad vitam traducendam vendidit.

PHIDAMUS Poeta lascivus Secta Epicureus fuit, apudque vixit Pisonem, in quem Ciceronis Oratio, Asconio Pædiano autore. Sed quis hic Phidamus, ò Cozzande? non est, neque fuit ullibi. Philodamum te dicere voluisse, credo, de quo Cic. Orat. in Pis. Hic tamen Philodamus idem est cum Philodemus, de quo supra. Sic enim Lamb. in Comm. ad citatum locum Sat. 2. l. 1. Fuit autem Philodemus, seu Philodamus, Philosophus Epicureus, idemque Poeta: qui cum L. Pisoni aliquandiu vixit: de quo M. Tullius in Orat. in Pisonem: Est quidam Græcus, qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam, sic enim cognovi, humanus; sed tandem, quandiu cum aliis est, aut ipse secum, &c. Et lib. 2. de Fin. bon. & mal. in extremo: Credo, Syronem dicas, & Philodamum cum optimos viros, tum doctissimos homines. Nonne hic tuus Phidamus Poeta fuit, Epicureus, Pisoni familiaris, à Pædiano memoratus, &c. sicut & Philodemus, sive Philodamus ille? Ergo non alius ab illo est, sed idem.

PLATO quidem Sardianus Secta Epicureus fuit. Ejus ad Q. Fratrem meminit Cic. lib. 1. Epist. 2. qui sibi synchronos.

L. CESTIUS SMTRNÆUS Rhetor cognomento Pius, Epicureæ Sectæ fuit additus, docuitque Romæ Latine Augustæ aeo. Ejus auditor fuit **FABIANUS** Philosophus, cuius sub Tiberio præcipua fama. Et **ARGENTARIUS**, qui ne dum Cestii auditor, sed plane imitator, & ut Voss. ex Seneca ait de Rhetor. nat. & constit. cap. 12. simius. Nimirum M. Annæi Senecæ verba sunt Controv. 26. Fuerat enim Argentarius Cestii auditor, & erat imitator. Ajebat invicem: Quid putatis esse Cestium, nisi Cestii cinerem? Et sic solebat jurare: Per manes præceptoris mei Cestii, dum Cestius viveret. Omnibus autem insisteret vestigiis Cestii: æque ex tempore dicebat; æque contumeliose multa interponebat, &c.

PETRONIUS ARBITER Secta Epicureus fuit. Floruit sub Nerone, & sub eodem defloruit, ab eodem necatus, ut ex Tacito habemus lib. 16. Annals. Epicurum præclaro sane ornavit elogio. Quod quia attuli supra, buc parco referre. Sed super hoc magni nominis viro aliquid immorandum. Hunc autorum quidam Titum Petronium Arbitrum, alii Cajum Petronium Arbitrum appellant; aliique utrumque dicunt. Versus, quibus ipse Epicurum laudat, sunt:

Ipse pater vert doctis Epicurus in hortis

Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Verba Taciti 16. Annal. 18. ex quibus quis ille, ac quæ vita fuerit, habetur, sunt: De C. Petronio supra pauca repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebatur. Utque alias industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, babeaturque ganeo, & profligator, ut plerique sua haurientium, sed eruditio luxu. Ac dicta, factaque ejus quanto solutiōra, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bityniæ, & mox Consul, viagentem se, ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumptus est, elegantiæ arbiter, dum nibil amœnum, & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbasset.

visset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, & scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteræ libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Scevini Petronio objectans, corrupto ad indicium servo, ademtaque defensione, & majore parte familiæ in vincla rapta. Et statim sequenti cap. 19. Petronii mortem sic expressit: Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæsar, & Cumas usque progressus Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris, aut spei moras; neque tamen præcepit vitam expulit; sed incisas venas, ut libitum obligatas, aperire rursum, & alioqui amicos, non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nibil de immortalitate animæ, & sapientium placitis, sed levia carmina, & faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Init & vias, & somno indulxit, ut, quamquam coacta mors, fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: Sed flagitia Principis sub nomine exorcorum, feminarumque, & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni: fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula. Plinius addit, eum in morte vas confregisse, quod 300. festertiis emerat, ne Imperator eo regiam suam mensam ornaret. Mortuus traditur an. Chr. 66. De hac Neronis vitiorum propagatione ita Isaac Casaub. l. 11. de Satyra c. 2. Neronis, & aliorum procerum flagitia horrenda non minore flagitio publicavit.

Scripsit quædam, quorum ad nos non pervenerunt nisi suum Satyricum, & Fragmenta versuum; quorum venustatem spuriissimis amoribus inquinavit: unde Nequitia Arbitr. & purissimæ impuritatis scriptor appellatur. Lips. Antiqu. Lect. l. 1. c. 8. Scriptor tersus, & venustus, & nisi quod in re illa voluptatum nimis Latine interdum loquatur, cætera laudatus. Lil. Gyral. Hic Satyricum opus varium, &, ut sic dicam, miscellum composuit. Cujus licet fragmenta ad nos pervenerint, eademque parum castigata; multæ tamen eruditioñis hominem fuisse, facile cognoscimus, nam in taxandis moribus cum acrem, tum festivum maxime, & jocis seria miscentem videmus. Claud. Salmasius: Conservatus est elegantiorum nequitiarum curiosis Petronius Arbitr. Quod enim ex ejus Satyrico habemus, mera excerpta sunt alicujus studiosi, qui, quæ ad gustum suum in illo autore invenerat, eodem, quo opus legebat, ordine, adversariis suis commendavit. Qui putant, à Monachis sic eviratum esse, webementer errant. Qualis hæc castigatio foret, quæ resectis à reliquo corpore membris, vel potius ipso corpore abjecto, solas pudendas potestates reliquisse videatur? Certe desiderantur, viue videri possunt salaciora, ac nequitiora fuisse his, quæ relicta sunt. Imo ista nullam procacitatis, & protervitatis υπερβολων, vel ipsis lenonibus usurpandam reliquam faciunt. Gasp. Sciopp. l. Verisimil. c. 16. Elegans profecto, & luculentus est Scriptor Petronius, quemque non abs re tantopere amant viri docti. Vide eundem Consult. p. 42. Rapin. Reflex. in Poësin sect. 15. Petronius in brevi Poëmate suo de Romana Corruptione in omnia, quæ ab ipso damnantur, vitia labitur. Nemo unquam sanioris judicii precepta circa Poësin tradidit, nec eadem ullus unquam illo manu observavit. Scaligerana 2. Plus quam octo voces apud Petronium leguntur, quarum ignoratur prorsus significatio, ut Odepta, & aliæ.

Sunt inter Autores, qui Petronium Massiliensem fuisse dicunt, Sidonii Apollinaris versus ad hoc referentes.

Et te Massiliensem per hortos
Sacri stipitis Arbitr. Colonum,
Helleponiaco parem Priapo..

Morery

Morery tamen in Lex. Hist. putat, Apollinarem non genere, sed more, & libertate loquendi inhoneste, ipsum Massiliensem congruenter pronunciasse, juxta vetus Adagium: *Massiliam naves*. Alii vero Massiliensem ex Africæ populo malunt.

Denique notandum ex citato Morery, non multis ab hinc annis Tragurii, quæ Dalmatiæ urbs est, in Archiepiscopatu Spalatensi, inventum fuisse Fragmentum Petronii Arbitri ex libro 15. & 16. quod Criticorum quidam genuinum, alii falsum putant. Extat Commentariis illustratum.

C E L S U S, contra quem *Origenes libros scripsit octonos*, *Philosophus Secta Epicureus fuit*. Is ex variis, quæ sua tempestate emerserant, heresibus, argumentum arripuit insultandi Christianis de sua ipsorum dissentione: cui respondit *Origenes libris illis octonis*. Et præterea in eundem styli acumen strinxere *Isidorus Pelusiota l.2. Epist. 90. & Lactant. Firmianus l.4. c.ult. Georgius Hornius l.5. Hist. Philosoph. c.4.* Celsus hunc Philosophum Stoicum facit: Duo autem Celsi fuerunt, unus Neronis temporibus: alter Adriani, qui in Christianam Religionem invectus est, Sectaque fuit Epicureus. Hic Luciani amicitiam coluit: eique Lucianus Pseudomantin dicavit. Opus, quod contra Christianos scripsit, cui citati autores responderunt, *Sermones veri*, inscribitur. Celsus aliud opus se editurum promiserat, quo doceret, quomodo vivere deberent, qui secundum Philosophiæ regulas vellent vivere. Origenes mittens ad Ambrosium quendam sibi amicum libros, quibus iis, qui *Sermones veri* appellabantur, respondebat; ipsum rogavit, ut si secundum hoc opus in lucem editum esset, ad se mitteret. Sed an Celsus ipsum conficerit, ignoratur. De Celso dictum etiam lib. 3. hujus Hist. c. 16. p. 170. Vide *Origen. contra Celsum: Euseb. Hist. l. 6. c. 26. Baron. A. C. 132. n. 16. Volaterran. l. 14. Anthropol. & Gassend. l. 2. de vita Epic. c. 6.* Adduntur Epicureis à Cozzando l. 6. c. 1.

L. SAUFEJUS Eques Romanus, cujus pluribus in locis meminit Cicero, Corneliusque Nepos in Pomponii Attici vita.

C. MEMMIUS, qui & nescio quid in honorem Epicuri edificare voluit, ut scribit Cic. l. 13. Epist. pr. Familiarium. Hic L. Memmii filius fuit, ac Lucretio familiaris, qui ei suum Poëma dicavit. Cum de malo Bithyniæ regmine apud Julium Cæsarem accusatus esset; ab eo impunis abivit. Sed cum iterum eadem causa delatus fuisset, in exsilium missus est an. U. C. 690. Orator fuit, & Poëta, sed parum severus, cujus carmina dura vocat Agellius l. 19. c. 9. Vide Cic. in Bruto, & Ovid. 2. Trist.

C. CASSIUS clarissimus Imperator, de quo Cic. l. 15. Epist. 16. in qua & Catii meminit Epicurei, qui jam naturæ concesserat 17. 18. Familiar. & alibi: Ex quarum ultima & PANSAM ex Hortis haud ægre agnosces. Quibus addatur **PAPIRIUS POETUS** clarissimus in Rep. vir, & STALLIO M. Brutis sodalis, quem Brutus in conspiratione in Cæsarem cum Favonio Catonis imitatore dimisit; quod è longinquæ inter disputandum, ac philosophandum sermone circuito illius animum expertus erat, ut narrat Plutarchus in M. Brutis vita. Ex Hortis sub hæc tempora erant **L. THORIUS BALBUS LANUINUS**, cujus pluribus meminit Cic. lib. 2. de Fin. Postumius, quem se ignorare scholiis in locum Ciceronis citatum Paulus Manutius fatetur. **CHIUS**, C. SERGIUS ORATA, de quibus Cic. loco cit. Quid affers, cur Thorius Postumius, cur Chius, cur omnium Magister Orata non jucundissime vixerit? Sergius Orata cognominatus est, ut Macrob. scribit l. 3. Saturnal. c. 15. quod ei pisces, qui Auratae vocantur, carissimi fuerint. Hic est Sergius Orata, qui primus balneas peniles habuit, primus ostrearia in Bajano locavit, primus optimum saporem ostreis Lucrinis adjudicavit. Fuit autem ætate L. Crassi illius diserti, qui quam gra-

vis, & scrius habitus sit, etiam Cicero docet. Meminit Val. Max. l. 9. c. 1. Plin. l. 9. c. 54. à quibus superiora Macrobius desumit, laverna bonorum autorum. Ejusdem etiam C. Sergii Oratæ itidem meminit Cic. l. 3. de Offic. L. MANLIUS TORQUATUS, qui fuit Consul anno U. C. 688. propugnator inducitur à Cic. l. 1. de Fin. sententiae Epicureæ de Voluptate: erat enim Torquatus homo doctrina omni eruditus. Et post pauca idem Cozzandus de Epicurea Secta loquens, subdit: Eandem secutus est SEXTUS PROPERTIUS delicium, & amor Poëtarum, ut ex versibus ejus modo allatis ex lib. 3. ad Cynthia propalam sit. MARCUS VALERIUS MARTIALIS, autore M. Zuerio in C. Plini Secundi Novocomensis vita, Martiali qui amicus, ut ex epistola habemus 21. l. 3. in qua Valerii Martialis laudes exequitur: ex quo etiam ejus ætatem cognoscimus. Sed parum in his immorandum.

De C. Cassio Imperatore vide etiam in M. Bruto. Nescio, cur Cozzandus Manutium reprehendat, quod Postumium ignoraverit, cum ex iisdem Ciceronis verbis appareat, Postumium non alium à Thorio esse, sed eundem. Ait enim: *Cur Thorius Postumius, cur Chius, &c. L. Thorii, insignis sui temporis Epicurei vitam, & mores sic optime expressit Cicero l. 2. de Fin. L. Thorius Balbus fuit Lanuinus: quem meminisse tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat cupidus voluptatum, & cuiusvis generis ejus intelligens, & copiosus; ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacrificia, & phana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob Remp. imperfectus. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate: habebat tamen rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam & esuriens, & sitiens veniret; eo cibo, qui & suavissimus esset, & idem facillimus ad concoquendum; vino & ad voluptatem, & ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demissis negat se Epicurus intelligere quid sit bonum. Aberat omnis dolor; qui si adfasset, nec molliter ferret, & tamen medicis plus, quam Philosophis uteretur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia; vita denique conferta voluptatum omnium varietate, &c. De L. Manlio Torquato videri etiam possunt, quæ in Boëthio à nobis adnotantur. Propertium, & Martialem (quem Ælius Verus Imperator suum Virgilium vocabat) Epicureis à Cozzando addictos ex sola, puto, lasciva eorum vita: ex ipsa autem Philosophos fuisse non constat.*

P R R H O N I I.

CORNELIUS CELSUS

SUb primis Cæsaribus vixit, quo tempore Latini sermonis puritas, & elegancia effloruit. Jus civile, & Philosophiam monumentis illustravit: Rei militaris, & Rei rusticæ libros edidit: qui & dignus, ut ait Fabius, vel ipso proposito, ut eum illa omnia tenuisse credamus. Columella citat ejus libros de Re rustica: & libro undecimo ipsum fuisse tradit non solum Agricolationis, sed etiam universæ naturæ prudentem. Fabius Quintilianus in Rhetoricis, quamvis artis æmulus Celsus perstringat, tamen ipsa veritate coactus ipsum eruditum virum appellat libro nono, & sequenti sic tradit: *Scripsit non parum multa Cornelius Celsus, Scepticos sequutus, non sine cultu, ac nitore. Plinius vero saepè Celsum inter autores retulit in Indice librorum, qui primus inscribitur. Apud Marcellum Empiricum autem quædam Epistolæ Celso falso tribuuntur. Hæc est Celsi vita ejus operibus præfixa. Addendum, ipsum scripsisse etiam*

etiam de Rhetorica, & libros 8. de Re Medica, qui & Latini sermonis puritate, & rei doctrina, omnibus in precio sunt. Vide Quintil. 1.9. 10. & 12. Voss. de Philos. c. 12. §. 4. &c.

S E X T U S E M P I R I C U S
E T
S E X T U S C H Æ R O N E U S.

Sextus Empiricus, sic dictus quod Empiricæ Medicinæ sectator erat, Herodoti Tarsensis, Ariei filii, discipulus fuit, Philosophus secta Pyrrhonius, professione Medicus, in rebus Naturalibus, & in omni disciplinarum genere longe versatus. Scripsit hic *Pyrrhonianarum Hypotyposes* libros tres, varia eruditione refertos, quibus in tres Philosophiae partes acerrime inquiritur, quos latinos fecit Henricus Stephanus; & *libros decem adversus Mathematicos*, opus quidem eruditum, quo omnium dogmata reprobare, ac nullas existare disciplinas, nullumque certum modum probare satagit. Qui autem ipsi tribuitur Tractatus de Medicina Animalium, non ejus, sed cuiusdam Platonici est, ut ait Morery in Lex.

SEXTUS CHÆRONEUS, Plutarchi ex sorore nepos, fuit tempore Marci Antonini Cæsaris Philosophus, discipulus Herodoti Philadelphæt; erat autem Pyrrhoniæ sectæ; & adeo in honore apud Regem, ut in judicando sibi fecerit assessorem. Scripsit Ethica, & Episcepticos libros decem, &c. Verba sunt Suidæ in Sexto. Præceptor hic fuit Marci Antonini Philosophi, ut in ejus vita tradidit Julius Capitoninus, ubi ait: *Audivit & Sextum Chæronensem, Plutarchi nepotem.*

Ingens tamen inter autores quæstio est, sitne Sextus Chæroneus idem qui Sextus Empiricus. Eundem multi faciunt ex allatis Suidæ verbis, qui Sextum Chæroneum, Plutarchi nepotem, Pyrrhoneum, Marci Antonini in judiciis assessorem, & de Sceptica doctrina scripsisse, affirmant. Dubitant alii: at omnino diversum asserunt Casaubonus, & Salmasius in Notis ad Jul. Capitolinum in vita M. Antonini. Et primus quidem ait: *Marcus Sextum nominat tantum: Philostratus Sextum ex Boeotia Philosophum: Suidas etiam Plutarchi nepotem, cum Capitolino. Sane in Graeco, qui penes nos est, Codice, nusquam aliter, quam Σεξτος Ἐπισκεπτικος autor ille nominatur. Adde, quod ille Empiricus, nullius dogmatis approbator, ne dum autor, omnium fuit eversor. Sextus hic Marci præceptor, non ea solum, quæ priores sciverant sapientes, nota habuit exacte: sed ipse etiam nonnullorum scitorum fuit autor, & primus inventor. Salmasius vero: Dubitant viri docti, sitne Sextus hic, cuius hodie que habemus adversus reliquas Philosophorum sectas, dissertationes. Sane Pyrrhoneum fuisse hunc Sextum Chæronensem scribit Suidas: at in Graecis exemplaribus manuscriptis Σεξτος vocatur ille Sextus. Hujus mentionem à Galeno factam reperi, qui quidem Galenus συγχρόνως hujus Sexti Chæronensis fuit sub Marco nempe Imperatore, ut videatur paullo antiquior Empiricus ille hoc nostro Chæronensi.*

Alius tamen fuit *Sextus*, sive potius *Xistus*, Philosophus Pythagoricus, quem eodem anno, ac Christus Dominus, natum ait Euseb. in Chronico. Hic celebre illud *Eγχειριδιον sententiarum* composuit, quod è Graeco in Latinum vertit Rufinus. Risu planè dignum est hunc confundere cum S. Xisto Papa, & Martyre, ut quidam faciunt.

Sextum denique *Africanum* non præteream, qui, præter Chronologiam, scripsit etiam 9. libros *Kēsōn*, quos Alexandro Mammææ filio dicavit.

DE Eclecticorum Secta, ejus præcipuis Sectatoribus affatim supra in fine libri tertii hujus Historiæ dictum est. Nunc autem, ut de ipsis sermo iterum instituatur, operæ pretium est; tum quia de iis, quos ibi retulimus, quædam addenda; tum quia Romanorum plerique hanc sectam secuti sunt. Imo, si verum fateri velimus, sapientissimi quique Romanorum non uni sectæ se addicere plerunque solebant; sed omnium sectarum doctrinæ studebant, ut ex singulis, quæ ad veritatem magis accederent, seligentes, non sectam, sed veritatem sequi viderentur: ut ex dicendis clarum fiet.

P. VIRGILIUS MARO.

Eusebius in Chron. ad Olympiad. 177. *Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua nascitur, Pompejo, & Crasso Coss.* Natalis dies refertur ad annum 3. Olymp. 177. diem vero 15. Octobris anno Romæ 684. Patrem habuit Maronem figulum, sive, ut plures tradunt, Magi cuiusdam viatoris mercenarium, deinde generum, quem agricolationi, reique rusticæ ille præfecit. Matrem vero Majam, sive Melissam, sive Pollam, ut scribunt multi, quæ dupli præfigio ipsum in subjecta fossa in itinere, quod cum maxito, rus petente, faciebat, enixa est. Nocte enim, quæ partum præcessit, somniavit, se laureum ramum enixam, qui vix terræ adhærens statim coaluit, & in maturam arborem excrevit. Secundum præfigium hoc dicitur. Virga populea, more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi coaliuit, ut populos multo ante satas æquaverit. Quæ arbor Virgilii ex eo dicta, atque consecrata est, summa gravidarum, & foetarum, religione suscipientium ibi, & solventium vota, ut notat Donatus in Vita. A virga igitur, sive illa laurea, sive hac populea Virgilium potius dicendum cum Minutiano, Apulejo, Donato, aliisque duxerim, cui Calvi illud suffragatur:

*It vates, cui Virga dedit memorabile nomen
Laurea.*

Græcique Codices adstipulantur; quam Vergilium à Vergiliarum sidere, ut Politianus cum aliis contendit; quamvis & Suidas ipsum, & Eusthatius etiam Οὐεργίλιον dicant. Tertium præfigium alii ejus vitæ scriptores addunt, & quartum. Quod scilicet, ut Phocas ait:

*Læta cobors apium subito per rura, jacentis
Labra favis texit. - - -*

Tum etiam quod

*Infantem vagisse negant: nam fronte serena
Conspexit Mundum, cui commoda tanta ferebat.*

Vide cit. Phocam in carmine Natalis Virgilii, Jovian. l.5. Eridani, & 2. Uraniae. Politianum in Manto, &c.

Ætatis initia, ad septimum scil. annum, Cremonæ egit: anno deinde 17. virilem togam sumvit, iisdem Consulibus, quibus natus est: quo ipso die Lucretius Poëta decessit; quamvis alii malint, Lucretium eodem die obiisse, quo Virgilius natus est, ut refert P. Crinitus de Honesta Discipl. l.24. c.4. Euseb. etiam ad Olymp. 180. ait, Virgilium Cremonæ studuisse. Ad Olymp. autem 182. *Virgilius sumta togæ Mediolanum transgreditur, & post breve tempus Romanam pergit.* Verum Donatus ait: *Sed Virgilius Cremona Mediolanum, & inde paulo post Neapolim transit: ubi cum literis & Græcis, & Latinis vehementissimam operam dedisset, tandem omni cura, omnique studio indulxit Medicinæ, & Mathematicæ.* Quibus rebus cum ante alias

alios eruditior, peritiorque esset, se in Urbem contulit; statimque Magistri stabuli equorum Augusti amicitiam nactus, multos, variosque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem singulis diebus panes Virgilio, ut uni è stabulariis, dari jussit. Interea à Crotoniatis pullus equi miræ pulcritudinis Cæsari dono fuit missus: qui omnium iudicio spem portendebat virtutis, & celeritatis immensæ. Hunc cum adspexisset Maro, magistro stabuli dixit, natum esse ex morbosa equa, & nec viribus valitum, nec celeritate: idque verum fuisse inventum est. Quod cum magister stabuli Augusto recitasset, duplicari ipse in mercedem panes jussit. Cum item ex Hispania Augusto canes dono mitterentur, & parentes eorum; dixit Virgilius & animum, celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari. Deinde narrat idem autor celebrem hanc ad Augustum facetiam. Qum de Augusto dubitaretur, Octavii, an aliis esset filius; Virgilium ipse solum in penitiorem Aulæ partem vocans, ab eo quæsivit, ut si ex sua divinandi arte, quam perfecte callere in equorum, & canum naturæ abditis cognoscendis ostenderat, scire posset, cujusnam ipse filius esset, sibi ostenderet; quod si verum pro rogatu dixerit, beatum ipsum, ac felicem redderet. Cui Maro: Si impune, ô Cæsar, licenterque quæ sentio loqui dabitur, id dicam: Cumque Cæsar jurejurando affirmasset, se nullum ejus dictum ægre laturum, immo non nisi donatum ab eo discessurum; Maro sic locutus est: *Quantum, ô Cæsar, rem intelligere possum, pistoris filius es.* Obstupescens Augustus, quomodo id fuerit, quælivit. Ex eo id conjicio, inquit Maro, quia mihi abscondita quædam de animalium natura secreta enuncianti, & prædicenti, iterum atque iterum panes in mercedem dari jussisti: quod pistoris, vel pistore nati proprium est. Placuit Cæsari arguta hæc facetia. Deinde inquit: Deinceps non à pistore, sed à Rege magnanimo dona accipies. Quare eum & plurimi semper fecit, & Pollio commendavit; cui, & aliis Aulæ primoribus, carissimus fuit.

Quod autem ad corporis temperiem spectat, hæc Donatus: *Corpore, & statura fuit grandi, aquilino colore, facie rusticana, valetudine varia, nam plerumque ab stomacho, & fauibus, ac dolore capitinis laborabat: sanguinem etiam saepius ejecit.* De Virgilii moribus ex Pediano habemus, benignum fuisse, invidiæ expertem, bonorum, atque eruditorum hominum cultorem, & amicum; liberalem præterea, cuius Bibliotheca omnibus patebat. Illud saepe repetebat: *Omnia amicorum sunt communia:* patiens, comis, humanus, bonos laudabat, vituperabat neminem. Quare Poëtæ omnes sibi coævi ipsum summe diligebant, Varius, Tucca, Horatius, Propertius, & Gallus. Ejus patientiæ vel hoc argumentum esse poterit. Cum distichon, quod Augusti laudem continebat, fecisset, ac in valvis, non nominato autore, posuisset:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane:

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Cæsar diu, sed frustra versuum autorem quæsivit. Quare cæteris tacentibus, Bathyllus quidam, Poëta mediocris sibi adscripsit: unde & honorem, & dona à Cæsare tulit. Cujus rei Maro vindictam nullam ferens; tantum iisdem valvulis hoc versiculi principium, quater replicatum affixit: *Sic vos non vobis.* Postulabat Augustus, ut versus completerentur. Quod cum alii frustra conati essent; Virgilius præposito disticho sic subjunxit:

Hos ego versiculos feci; tulit alter honores.

Sic vos non vobis nidificatis, aves.

Sic vos non vobis vellera fertis, oves.

Sic vos non vobis mellificatis, apes.

Sic vos non vobis fertis aratra, boves.

Autore

Autore igitur cognito, Bathyllus fabula Romæ fuit, Virgilius vero majorem gloriam indeptus est; atque Augusto tam gratiosus fuit, ut quæcumque peteret, obtineret. Cæsare tamen bona cuiusdam exsulantis offerente, Maro recipere passus non est. Domum habuit juxta hortos Mecœnatis, atque ex amicorum liberalitate prope centies sestertium possedit.

Postremo de ejus morte, mortisque occasione, & loco, hæc habet Donatus: *Anno vero quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Æneidi imponebat, statuit in Græciam, & Asiam secedere, triennioque continuo omnem operam limitationi dare, ut in reliqua vita tantum Philosophiæ vocaret. Sed cum aggressus iter Athenis occurisset Augusto, ab Oriente Roman revertenti, una cum Cæsare redire statuit. At cum Magara, vicinum Athenis oppidum visendi gratia peteret, languorem natus est: quem non intermissa navigatio auxit, itaut gravior in dies fieret: tandem Brundusium adventavit: ubi diebus paucis obiit 10. Kal. Octobr. Cn. Plautio, & Q. Lucretio Coss. . . . Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, ubi diu, & suavissime vixerat, ac extrema valetudine hoc sibi ipse Epitaphion fecit distichon:*

Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc

Parthenope: cetini pascua, rura, duces.

Translata igitur jussu Augusti ejus ossa, prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaque via Puteolana intra lapidem secundum, suoque sepulcro id distichon, quod fecerat, inscriptum est. Hæredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex altero patre: ex quartæ Augustum: ex duodecima Mecœnatem: ex reliqua L. Varium, & Plotium Tuccam. Quum autem Æneidis imperfectum, nec emendatum opus morti jam proximus comburere vellet, Augustus id prohibuit: quare ipsam dictis Vario, & Tuccæ, vatibus ei familiaribus, emendandam hac lege reliquit, ut nihil ei adderent. Quod confirmat Euseb. ad Olymp. 191. *Varus* (sive Varius, ut scribunt Horatius, Donatus, & alii) & *Tucca*, *Virgilii*, & *Horatii contubernales Poëtæ* habentur illustres, qui Æneidum libros postea emendaverunt sub ea lege, ut nihil adderent.

Notandum tamen hic primo est, Eusebium asserere, Virgilii obitum Olympiade 190. evenisse, Sentio Saturnino, & Lucretio Cynna Coss. anno Romæ 735. non autem iis, qui supra: eumque vixisse quosdam putare annos 51. Notandum secundo, dictum *Calabri rapuere* ad mortis locum designandum: nam Brundusium, urbs Salentinorum inter Hydruntum, & Barium posita in agro Salentino, à Stephano, Ptolemæo, aliisque antiquis Geographis, Calabriæ urbibus adnumerabatur.

Scripsit Virgilius, Poëta Latinorum sine controversia Princeps, *Bucolica* ad Eclogas decem suasu Asinii Pollionis, in quibus Theocritum imitatus est: easque triennio, ut ait Donatus, sive annis septem, ut vult Drexel. elaboravit: in quibus Asinium Pollionem, Alphenum, Varum, & Cornelium Galium celebravit. *Bucolica* sic composita ut in scena à Cantoribus recitarentur. Cum autem Cicero tum senex quosdam Eclogæ versus in theatro audivisset, atque acri judicio intellexisset, eos non communi vena editos; statim jussit, ab initio totam Eclogam recitari, qua attente considerata, in fine ait: *Magna spes altera Romæ: quod hemistichion postea Virgilius Æneidi inseruit. Et Tacit. (sive potius Quintilianus hujus operis autor sit) Dialog. de Orat. ait: Plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quam Virgilii detraccent. Et paullo post honorem ei à populo in theatro habitum sic expressit: Testes Augusti epistolæ, testis populus Romanus, qui, auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, & forte præsentem, spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.*

Georgica ad imitationem Hesiodi septennio Neapoli confecit, teste eodem Donato; quæ Mecœnati inscripsit. Hæc cum scribebat, traditur, meditatis mane plurimos versus, per totum diem retractando, ad paucissimos eos redigisse; unde & dicere solebat, se Ursæ modo parere, & lambendo demum effingere. Georgica reverso ab Attica Victoria Augusto, & ad reficiendas vires Atellæ commoranti, per continuum quatriduum Virgilius legit, Mecœnate legendi vicem suscipiente, quoties ipse vocis offensione interpellaretur.

Æneida, mirabile opus, partim in Sicilia, partim in Campania, undecim confecit annis, & in 12. libros digessit. Ad 24. tamen libros, ut Homerus, si diutius vixisset, erat compositus, ut in Scaligerana 2. ex omnibus veteribus deductum legimus. Æneidis argumentum varium, & multiplex, & quasi amborum Homeri carminum instar; in qua hoc maxime studuit, ut in ea Romanæ simul Urbis, & Augusti origo contineretur. Ipsam vero soluta prius oratione formasse dicitur. Æneidis vix coepitæ tanta extitit fama, ut Sext. Propertius dixerit:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji.

Nescio quid majus nascitur Iliade.

Augustus jugiter urgebat, ut Virgilius Æneidis versus aliquos ipsi recitaret; quod Virgilius diu distulit. Tandem ejus libros secundum, quartum, & sextum recitavit, & hunc præcipue ob Octaviam, quæ, cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus. *Tu Marcellus eris, &c.* defecisse fertur; atque ægre refocillata dena festertia pro singulis versibus Virgilio dari jussit. Unde Budæus de Asse l. 3. *Virgilis versus vere aureos jure appellare possit, quod ab Octavia pro viginti versiculis, quinque aureorum millia acceperit.* Tot enim, viginti, sive 21. sunt versus, in quibus de Marcelli rebus loquitur Poëta.

Innumera pene sunt præclara autorum omnium de Virgilio testimonia; quorum pauca, sed potiora hic adnotasse sufficiat. Lud. Viv. de tradend. discipl. l. 3. *Æneis Virgilii grande opus, & plenum gravitatis, ac rerum bonarum, & quod Iliadi non concedat.* Macrob. in Somn. Scip. l. 1. c. 7. & l. 2. c. 8. *Homericae perfectionis in omnibus imitator Maro: disciplinæ nullius expers, & quem nullius disciplinæ error involvit.* Et l. 1. c. 24. *Hæc est Maronis gloria, ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuetur.* Jul. Scalig. in Critico, & passim, Homerum à Virgilio longe superatum asserit, dum ait: *Homerici versus in terra, Virgiliani inter Musas à Phœbo facti videntur: ille Græculus Circulator, is regiae orationis autor. Virgilius Magister est, Homerus discipulus. Hic verus Poëta, ille Foraneus Narrator. Homerus moles quidem est, sed rufus, & indigesta: Virgilius Matrona honesta . . . Virgilius vates suavissimus, nitidissimus, pulcherrimus, splendidissimus, dulcissimus, politissimus . . . Apollo ipius, cum pastor esset, jucundioribus, aut teretioribus non cecinit numeris . . . Inest in eo phrasis regia, & ipsius Apollinis ore digna . . . Sic puto loqui Deorum proceres in conciliis Cœlestibus . . . Non, si ipse Jupiter Poëta fiat, melius loquatur. Et Poëtic. lib. 3. c. 2. *Virgilius solus Poëtæ nomine dignus est.* Et paucis, sed omnium maximis in Scaligerana l. p. 148. *De Virgilio nunquam loquendum, nam omnes omnium laudes superat.* Poëtam hucusque vidimus, videamus modò Philosophum.*

In id omnes consentiunt, Virgilium Philosophiæ studiis imbutum optime fuisse; sed cuius doctrinæ sectator fuerit, non una autorum mens est. Donatus in Vita Platonicum facit; quamvis & aliarum sectarum doctrinas didicisse asserat. Labitur tamen vir doctus L. Cozzandus, qui l. 6. c. 1. de Magist. veterum Philosophorum Virgilium Epicureum dicit; atque Donatum hujus sententiaæ auto-

autorem citat: Sed prima tantum Donati sententiæ verba legerat Cozzandus, non ultima. Quamvis enim dicat: *Audituit à Syrone præcepta Epicuri: cuius doctrinæ socium habuit Varum.* Suam tamen sententiam continuo hanc subdit: *Quamvis diversorum Philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo videatur; ipse tamen fuit Academicus; nam Platonis sententias omnibus aliis prætulit.* Fateor quidem, me lib. 3. hujus Hist. in calce Epicuri Virgilium cum Vossio de Philos. sect. Epicureis adnumerasse: Verum optimis modo rationibus, & autoritatibus adducor, ut ipsum inter Eclecticos potius recensem. Et profecto ex ipsius Donati sententia modo adducta, quod *Diversorum Philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo videatur*, non deducitur, Platonicum fuisse (quod pace tanti viri dixerim) sed Eclecticum: multarum enim sectarum doctrinam non tantum didicit, sed etiam secutus est, nam *libris suis inseruit*. Petrus Crinitus de Honestâ Discipl. l. 5. c. 11. *Pro comperto apud omnes est*, *P. Virgilium omnium Philosophorum decreta, atque opiniones egregie calluisse: quod ipsum cùm locis multis probavit, tum in lib. maxime Æneid. 6. in quo satis, abundeque videtur asseruisse, quantum videlicet humanas omnes, atque divinas disciplinas didicerit.* Sed quæ de Cocytio, &c. Quare non parum miror, nedum Cozzandum, sed etiam Vossium, virum doctissimum, atque alios, ipsum Epicureum fecisse. Non infior sane, Virgilium 6. Ecloga sic cecinisse:

*Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis, &c.*

Ubi Silenus Pastor Chromin, & Mnasilum pueros docet primam rerum originem juxta doctrinam Epicuri, additque varias fabulas. Per Silenum enim Syronem Epicureum Philosophum; per Chromin, & Mnasilum, Virgilium, & Varum, Syronis discipulos, intelligunt Interpretes. Atqui Virgilium nulli peculiariter sectæ adhæsisse, sed Eclecticum fuisse, vel ex hoc deduci poterit, quod si in hac Ecloga Epicureum agit, alibi sæpe ad Pythagoram, vel Platonem deflectit, vel Aristotelem. Ex Aristotele quidem, & Theophrasto, ejus discipulo, hausit quæ Georg. 1. 2. & 4. plura scripsit. De Pythagoræ Metempsychosi, sive transitione animarum in alia corpora, abunde loquitur Æneid. 6. De Platonica doctrina nil dicam, quam præ aliis secutus est. Unde Augustinus ait, Virgilium ex Platonis dogmate locutum; & Platonis sententiam luculentis versibus explicasse: & à Cœl. Rhodig. passim dicitur Platonicus Poëta, affatim Platonicis imbutus sacris: Reconditionis scientiæ Poëta nobilis, Platonorum mysteriis ampliter imbutus. Et Pierius l. 3. asserit, à Virgilio currum cum Platone ad palmam agitari. Atque ex hac Platonis doctrina, cui omnium maxime addictus erat, ortum fortasse, ut Theologis, ac Moralibus Philosophis adnumeraretur.

Accedit, quod de Animæ immortalitate, & Deorum Providentia non ut Epicureus sentiebat, sed ut verus Platonicus. Et Animæ quidem hac vita defunctæ, Elysium, vel Tartarum pro meritis statuit: Deos vero mundi rectores, malorum bonorumque datores; atque eorum iram timendam, captandam gratiam, quam sæpiissime ubique testatus est. De Elysiō sic Æn. 5....

- - - - *Sed amæna piorum
Concilia, Elysiumque colo.*

De Tartaro autem ita scribit Æn. 6.

- - - - *Tum Tartarus ipse
Bis patet in præcepsum tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad æthereum Cœli suspectus Olympum.*

His

His addit Joh. Marosh. in can. Chron. Virgilium Topographiam Infernam accuratissime depinxisse, eamque in septem mansiones divisisse 1. Infantum. 2. Falso damnatorum. 3. Eorum, qui sibi manus intulerunt. 4. Amantium. 5. Bellatorum. 6. Tartari. 7. Elysii. Hæc si cum superioribus comparentur, nihil fere à Virgilio, quod non prius ab Homero, aut Platone dictum, reperies. Ad probandam denique hanc meam sententiam, Virgilium Eclecticum fuisse; temporis etiam ratio concurrit. Potamon enim hujus sectæ institutor Virgilius Synchronos fuit, nam & Augusti tempore vixit.

Ipsum igitur Philosophum præclarissimum nedum omnes ejus vitæ scriptores, sed autorum plurimi uno ore fatentur, Macrobius, Hieronymus, Augustinus, Vives, qui ait: *Summe omnibus Philosophiæ numeris absolutus.* Et Scaliger passim: *Ex Philosophiæ veritate locutus est. Est optimus Philosophus. Cum Poësi adjungit Philosophiam. Excutit vir admirabilis Philosophiæ penum. Bonus Philosophus. Loquitur ex Adytis Metaphysicæ.*

Denique Virgilius ubique Philosophum se ostendit, & Astronomum eximium. Sic, præter allatum Ecl. 6. locum, in Georg. initio:

*Tempore, quo gelidus canis de Montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit, &c.*

Et Aeneid. 1. in fine:

*Hic canit errantem Lunam, solisque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes:
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obfet.*

Et alibi passim in ejus operibus. Scripsit, præter dicta, Epigrammata, Culicem, & alia Poëmatia.

Alexander Severus Imp., ut scribit Lampridius in Vita, Virgilium Platonem Poëtarum vocabat, ejusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum. Sic Homerus, & Virgilius, Alexandrum uterque suum fortiti videntur.

Vide doctiss. Lud. de la Cerda in Elogiis Virgilii, præfixis ejus operibus, eruditis commentariis ab eodem illustratis. Donatum (sive Aelius Donatus, Grammaticus Divi Hieronymi præceptor, Romæ sec. 4. vivens; sive potius Tiberius Claudius Donatus ejus, quæ circumfertur, Virgilii vitæ autor sit, quæ Vossii opinio est: sive à multis à Virgilii ætate ad nos usque elaborata, & in unum congesta, ut alii putant) Servium in Virg. atque alios. Quæ autem extat Virgilii Vita à Sebastiano Corrado conscripta, & Virgilii operibus cum notis Min-el. editis præfixa, non est nisi vulgatæ illius à Donato conscriptæ censura, qua contra hunc, & omnes fere Vitæ Virgilii scriptores, invehitur, & vel anachronismi, vel falsitatis crimine damnat. Sed, an recte, alii videant. Sic Virgilium neque à Virga, neque à Vergiliis stellis dictum affirmat, sed à Virginitate, quia græco nomine Parthenias etiam dicebatur. Dictum illud à Cicerone in laudem Virgilii: *Magnæ spes altera Romæ* falsum esse, afferens; Ciceronem jam mortuum antequam Virgilius Romam veniret, affirmit: Neque unquam Aeneida cremare voluisse; neque de hoc Augusti versus extare, &c. Tandem refert, Suetonium scriptum reliquisse, Q. Cæcilium Epirotam Grammaticum primum fuisse, qui Virgilii libros publice fit interpretatus.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ
Q. HORATIUS FLACCUS.

Venusia, sive Venusium, ut scribit Horatius, Urbs est Regni Neapolitani in Basilicata ad radices montis Apennini, parva quidem, sed principatus titulo clara: quam Ptol. Strab. Plin. & alii Apuliæ Peuceticæ in Lucaniæ confino sitam dicunt. In ea natus est Q. Horatius Flaccus, Venusinus Poëta inde dictus, 6. Id. Decemb. a. U. C. 687. L. Aurel. Cotta, & L. Manlio Torquato Coss. ut habetur in ejus vita, cuius Suetonius autor dicitur, & confirmat Lamb. ad Od. 21. l. 3. ubi Hor.

*O nata mecum Consule Manlio;
Et ad Od. 13. lib. Epop. ubi id. Horat.*

*Tu vira Torquato move
Consule pressa meo.*

Horatium natum vult Euseb. in Chron. an. 1. Olymp. 197. inquiens: *Horatius Flaccus Satyricus, & Lyricus Poëta libertino patre nascitur.* Et libertino patre natum se ipse fatetur lib. 1. Sat. 6. ubi

- - - - *Ut me libertino patre natum.*

Et infra:

Nunc ad me pedeo libertino patre natum:

Quem rodunt omnes libertino patre natum.

Et in Ep. ad lib. suum, quæ est lib. 1. 20.

Me libertino natum patre, & in tenui re

Majores pennas nido extendisse loqueris:

Ut, quantum generi demas, virtutibus addas.

Pater hic suus libertinus, & exactiorum coactor, Salsamentarius etiam quibusdam traditur ex eo, quod Horatio quidam in altercatione exprobrasset: *Quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?*

Habitu corporis brevis fuit, atque obesus, qualis à semetipso describitur Sat. 3. lib. 2.

- - - - *longos imitaris, ab imo*

Ad summum totus moduli bipedalis - - - -

Et in Epist. ad librum, ubi se in bello, & in Urbe cum primis familiaritatibus habuisse ait; Suique corporis, & animi vitia narrat, dicens:

Me primis Urbis belli placuisse, domique:

Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,

Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.

Hinc Augustus saepe ipsum, inter alios jocos, putissimum penem, & homuncionem lepidissimum appellabat. Ejus corporis formam expressit etiam idem Augustus hac epistola: *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum: quem ego, ne accusem brevitatem, quantuluscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, corpusculum non deest, &c.*

Primos ætatis annos, post exactos Romæ literarum studii labores, militiæ devovit, Bruti, & Cassii arma secutus: sub quibus Tribunus militum esse meruit. Deinde militiæ se abdicans, Romanum rediit; ubi Mecœnati potissimum, & Augusto gratiosus vivens, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit, ab utroque eximia liberalitate locupletatus. Augustus epistolarum quoque officium ei obtulit, ut ex hoc ad Mœcœnatem scripto: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus, & infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, & nos in epistolis scribendis adjuvabit. Ipsi tamen recusanti nec*

nec succensuit, nec amicitiam suam suggerere destitit: imò magni semper & ipsum, & sua carmina æstimavit.

De Horatii obitus tempore varia est autorum opinio. Suetonius in Vita: Decessit 5. Kal. Decemb. Cajo Mario Censorino, & Cajo Afnio Gallo Coss. post nonum, & quinquagesimum annum, bærede Augusto palam nuncupato, cùm urgente vi valetudinis, non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus, & conditus est extremis Exquiliis juxta Mecœnatis tumulum. S. Hieron. in Chron. a. 3. Olymp. 192. quinquagesimo ætatis anno Romæ mortuum esse, memorat. Alii denique obiisse tradunt an. Imperii Augusti 33. ætatis vero 63. Morery a. Romæ 746. sive 747. æt. 57.

Scripsit Carminum libros 4. Epodon usum: Satyralum, seu Sermonum, seu Eclogarum libros duos: Epistolarum libros totidem: denique Epistolam de Arte Poëtica ad Pisones. De quibus hæc est optimorum Criticorum censura. Quintil. I. 10. c. 1. Horatius ad notandos hominum mores præcipuus, purus imprimis, & tersus --- At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus, nam & insurgit aliquando, & plenus est jucunditatis, & gratiæ, & variis figuris, & verbis felicissime audax. Scalig. Hypercrit. p. 867. Horatius est omnium Latinorum, Græcorumque Poëtarum elaboratissimus. Et Scaligerana I. p. 91. Hs-ratius emendatissimus autor, ut dicebat Augustus. Vide Pope-Blount.

Philosophum fuisse, ipse de se, & ejus scripta testantur, & omnes uno ore fatentur. Cujus tamen sectæ fuerit, non una autorum mens. Cozzandus de Magisterio Antiqu. Philos. I. 6. c. 1. multorum opinionem secutus, Epicureum facit, dum de Epicuri secta loquens ait: Eandem amplexati sunt nobilissimæ Poëtarum Q. Horatius Flaccus, ut illud urbane dictum, & ad vulgi sensum satis declarat epist. 4. l. 1.

Me pinguem, & nitidum bene curata cute vises:

Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Verum hoc de se dictum tantum abeit, ut ipsum Epicureum ostendat, quin potius Antiepicureum denotet, cùm hoc ad Epicuri contemptum dictum videatur. Corpore enim, ut diximus, brevis erat, & obesus nimium, tanquam porcus de grege Epicuri. Forsitan eum Epicureum hujus sententiæ assertores dixerint, quod Epicureorum more (ut vulgo dici solet) quia dives ex aliena liberalitate factus, dulcem, ac voluptuosam vitam dicens, ad res veneras intemperantior erat adeo, ut speculato cubiculo usus sit. Sed, præterquamquod adhuc sub judice lis est, quid Epicureæ voluptatis nomine veniat, corporis ne, an animi; quis inde educet, Epicureum fuisse, cùm plerique alias etiam sectas secuti voluptuosius vixerint? Tandem quomodo Epicureus hic de Jove diceret:

*Dextera sacras jaculatus arces
Terruit Urbem.*

Et epist. 4. l. 1. ad Tibullum:

Dī tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Et alibi saepissime de Deorum Providentia optime sentiret?

Platonicum alii faciunt, ex hoc ipso fortasse, quod de Diis, Anima, atque aliis, ut Platonicus locutus sit. Verum hoc ultro quidem fateor, Horatium Epicuream, Platonicam, aliarumque sectarum doctrinam calluisse: nulli tamen ipsarum se devovisse assero.

Eclecticum autem fuisse non affirmarem, nisi id ex ejusdem Horatii verbis eduxerim; qui jam natu grandior epist. I. l. 1. ad Mecœnatem ait, sibi ad severius Philosophiæ studium transeundum, quod

Æque pauperibus prodest, locupletibus æque:

Æque neglectum pueris, senibusque nocebit.
Eclecticamque sibi philosophandi rationem proposuit amplectendam, inquiens :

*Nunc itaque & versus, & cætera ludicra pono:
Quid verum, atque decens, curo, & rogo: & omnis in hoc sum.
Condo, & compono, quæ mox depromere possim.
Ac, ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit fortuna, deferor hospes.*

Miror tamen, Lambinum, virum cæteroqui eruditissimum, in Comment. ad hunc locum ex allatis Horatii ultimi versus verbis educere, ipsum Academicum fuisse dicentem: *Videtur significare, se esse Academicum, quorum est nulli rei assentiri.* Nam ecquis est, qui non videat, per verba illa *Nullius addictus jurare in verba magistri, &c.* non assensus retentionem, quæ Academicorum quorundam erat, significari; sed nulli magistro, nullique sectæ addictum esse, ut in magistri verba, etiam contra veritatem asserta, jurandum sit, ut sectatorum, quos vocant, mos est, præcipue Pythagoreorum, quibus in magistri verba jurare & mos erat, & lex. Magis autem miror, in hujus sententiæ confirmationem locum Ciceronis proferre in proœmio lib. 4. Tusculan. *Nos institutum tenebimus, nullisque unius discipline legibus adstricti, quid sit in quaerere maxime probabile, maxime requiremus.* Et proœmio lib. 2. *Nosque ipsos redargui, refellique patiamur.* *Quod si ferunt iniquo animo, qui certis quibusdam, destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam quæ non probare soleant, ea cogantur constantie causa defendere.* Ex quibus clare evincitur, de Eclecticorum, non Platonicorum more in ipsis Ciceronem locutum esse. Post pauca tamen verba, in commentario scil. ad sequentem versum

Quo me cumque rapit fortuna, deferor hospes,
palinodiam canit, dum ait: *Tralatio perpetua est à navigantibus ducta. Significat, se servire temporibus, idest, pro natura, & ratione temporum hanc, vel illam disciplinam, non semper unam, eandemque sequi, ac probare -- Idem dicit. Significat enim, se interdum Stoicorum, aut Peripateticorum disciplinam colere, ac probare.* Sed quid frustra pluribus immoror? Eclecticum se appetissime ostendit his statim sequentibus versibus:

*Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mibi res, non me rebus subjungere conor.*

P L O T I N U S

Vulgo Platonicus audit, imo & Platonicorum princeps, cuius ore Platonem ipsum locutum dices: unde & Divus Augustinus contra Academicos l. 3. c. 18. eum esse dixit: *In quo Platonis os illud, quod in Philosophia purgatissimum, & lucidissimum, dimotis nubibus erroris, maxime revixit.* Et de Civ. Dei l. 8. c. 10. Plotinus certe nostræ memoriae vicinus temporibus, Platonem cæteris excellentius intellexisse laudatur. Macrobius quoque Principem Philosophiae facit Plotinum cum Platone. Marsilius Ficinus in Epist. ad Lect. Plotini operibus præfixa: *Qui hunc audit, Platonem audire se putet: aut enim in Plotino Plato revixit, aut Dæmon idem prius Platonem, deinde Plotinum afflavit.* Joh. Card. Bona in Notit. Autorum, Plotinum *Platonicum profundissimum, & à populari captu omnino disjunctum, appellavit.* Et, ut cæteros missos faciam, Hofmannus in Lex. *Platonicum* facit Plotinum; cuius vitæ

epi-

epitomen talem ibi præbet: *Philosophus Platonicus*, *Ægyptius natione*, è civitate Lyco, discipulus Ammonii *Philosophi Christiani*, præceptor Porphyrii; Galeni, Taciti, & Probi temporibus. Sub Philippo Romæ docuit non idololatras modò, sed & Christianos habuit auditores, à quorum Religione non multum abhorrire creditus est. Civitatem conditus ad Platonis ideam, Galieni Imperatoris opem imploravit; sed hic à Consiliariis suis est absterritus. Fuit corpore gracili, tenui valetudine, morboque sacro obnoxius. Scripsit de rebus Philosophicis libros 54. in Enneadas sex distributos, quos Latine interpretatus est Marsilius Ficinus. Porphyrius illum contra Gnosticos quoque scripsisse addit. Doctrinam ejus Ficinus egregie explicavit. Obiit anno 270. etatis 66. Amelii præceptor: tanta virtutis veneratione superstitibus relata, ut aræ passim iphi, veluti Deo, extruerentur.

Verùm adducta autorum testimonja nil obstant, quin Plotinum Eclecticum dicamus, modò memoria recolatur, quod libro tertio hujus Histor. in fine de secta Eclectica diximus, Potamonem scil. hujus sectæ institutorem, ejusque sectatores, Platonis doctrina præ cæteris delectatos fuisse: imo & idem Potamon Commentarium in Platonis librum de Rep. scripsit. Atque hinc factum, ut majorem Eclecticorum partem Platonicis adnumeratam reperias. Plotinum tamen Eclecticum potius, quam Platonicum dicendum, clare evincitur, tum quod ipse Ammonii, qui Eclecticus erat, discipulus fuit; tum etiam quia aliorum doctrinam calluit, amplexus est, docuit: ut in ipsius libris videre est, qui non modò Platonicam, sed etiam Pythagoricam, Peripateticam, & Stoicam doctrinam continent. Adde quod habet Vossius de Philos. sc̄t. pag. 72. *De Platonice*, ut & Pythagoricæ Philosophiae Principiis scripsere olim Numenius, Cronius, Moderatus, & Thrasyllus, qui Tiberiano ævo vixit. Sed omnium ante se industriam curâ accuratâ vicit Plotinus. Et Cozzandus l. 1. c. 7. (quamvis & ipse Platonicum dicat) adjecit, ab ipso in schola præter Platonicorum, Peripateticorum etiam Commentaria Aspasii, Alexandri, Adrasti, & quæcumque sorte occurabant, legisse.

Academiam Romæ instituit, quæ à loco Romana, & Italica dicta est. De ea sic S. Augustinus epist. 56. ad Dioscurum: *Plotini Schola Romæ floruit, habuitque condiscipulos multos, acutissimos, & solertissimos viros*. Ejus discipulos vide in cit. l. 3. hujus Hist. Philos. sub ejus disciplina mulieres etiam fuisse ferunt, Geminam, cujus lares Plotinus incolebat, & Amphicliam. Hic Philosophus omnem calluit disciplinam, Geometriam, Arithmeticam, Mechanicam, Perspectivam, Musicam, &c.

De ejus morte mirabilia, & quæ fidem humanam superant, narrat Julius Firmicius. Porphyrius etiam in Vita refert, post ejus mortem draconem, qui sub lecto erat, domum intravisse, ac statim à circumstantium oculis evanuisse. Quod ansam præbuit quibusdam dubitandi, Plotinum dæmonem habuisse, quem consuleret. Ejus quoque morientis verba ad Eustochium dicta, literis plane atriis perscribenda, hæc nobis idem Porphyrius scripta reliquit: *Adhuc te expendo, atque equidem jam adnitor, quod in nobis divinum est, ad divinum ipsum, quod viget in universo, redigere*.

Debitas Plotino laudes plurimi contexerunt. Porphyr. in Vita ipsum in disputationibus strenuum, ad inventionem solerterem, ad opportuna percipienda promptissimum appellat; soli tamen intelligentiæ studentem, nihil de Orthographia curantem. Eunapius in Porphyrio ejus vim ingenii cœlestem vocat. A Macrobio in Somn. Scip. l. 2. c. 12. magis quam quisquam verborum parcus dicitur; & à Lipsio Cent. 4. Miscellan. epist. 39. Vir sapientia inclitus. Theodoreus de curandis Aff. Græc. l. 6. dixit, Plotinum non solum Hebræorum Patrum,

Patrum, sed etiam Apostolorum, & Christi Domini Traditiones calluisse. Joh. Jons. de Script. Hist. Philos. l. 3. c. 10. Plotino patrocinans ait: *Plotinus Numenii inventa, & dogmata sibi tribuere à maledicis quibusdam dictus est: quo plagit crimen ut liberaretur, Amelius librum scripsit de Differentia doctrinæ Plotini, & Numenii.* Vide Porph. in Vita, de qua ita Eunapius: *Vitam illius Porphyrius sic explicavit, ut nemo copiosius dicere, aut plura adferre possit.* Jul. Firmic. in Astron. l. 1. c. 3. q. 8. & Marshl. Ficin. in Comment.

PORPHYRIUS.

PAUCIS, quæ de Porphyrio lib. 3. diximus, hæc addenda. Divus Hieronymus Judæum genere eum fecit; & ex eo Baron. 2. Annal. sed Tyrium cum Eunapio omnes faciunt. Præceptores in Philosophia habuit Plotinum, & Amelium; in Rheticis vero Dionysium Longinum Cassium, virum doctissimum, quem in ejus Vita Eunapius spirantem quandam bibliothecam, & vivum Musæum appellat; quem item præceptorem habuit, & Consiliarium Zenobia Palmyrenorum Regina. Cùm prius Malchus vocaretur (quod nomen Syria-cà linguâ Regem denotat) à Longino deinde Porphyrius ob vestem regiam purpuream, qua ob nobilitatem utebatur, dictus est. Floruit Aureliani ævo usque ad finem Diocletiani. E Græcia Romam venit una cum Antonio Rhodo Romano sub Plotini disciplina: qui illum sibi amicissimum habuit, ac tanti fecit, ut palam eum Poëtam, Philosophum, & Sacerdotem appellaret. Et quidem tanti nominis fuit, ut vulgo Philosophus à cunctis diceretur.

Christianum primitus fuisse, deinde Fidei desertorem, Augustinus, Socrates, aliique contendunt; apostasiæque caussam ex Socrate hanc addit Lud. Viv. Comment. in lib. 10. c. 26. August. de C. D. Quæ vero caussa eum movevit, ut deficeret à Fide, & in Christianos scriberet, docet Socrates l. 3. c. 19. Nam iste Cæsareæ Palæstinæ à quibusdam Christianis reprobens, cùm prægravi, qua ardebat, iracundia, illud ferre non posset, Religionem Christianam deseruit; & præ odio illorum, qui ipsum coarguerant, ad libros conscribendos, quibus Christianos maledictis, & contumeliis perstringeret, præcepseruit. Eadem Nicephor. l. 10. c. 36. Vossius vero de Hist. Græc. postquam eum laudavit, dicens: *Magnum hujus inter Philosophos, ac Sophistas nomen fuit;* de ejus à Fide defectione hæc subdit: *Porphyrium primitus fuisse Christianum, sed postea à Religione hac resiliisse, Augustinus innuere videtur l. 10. de C. D. cap. 28.* Id ob autoritatem tanti Viri inficias ire non ausim. Sed haec genus tamen nihil invenio, quo id verisimile fiat, præter quam quod junior familiariter usus sit Origene. Ac longe etiam minus assentire possum doctissimo Annalium Ecclesiasticorum Scriptori (Baronio ad annum 325.) qui jam senem denuo ex Genzili Christianum factum putat.

Scripsit itaque *Adversus Christianos* lib. 15. quibus respondit eruditè nimis Eusebius, Apollinaris, & Methodius 30. Apologeticis libris. De Porphyrii libris adversus Christianos ita Suidas: *Hic est ille Porphyrius, qui contumeliosam, ac atrocium injuriarum plenam linguam in Christianos movit, & qua pestiferum suum venenum in eos effudit, ac jaculatus est.* Hieron. in procœmio Catal. Script. Eccles. Rabidus adversus Christianum canis audit Porphyrius. Et Theodoret. Serm. 1. de Græc. affect. curatione: *Porphyrius contra veritatem rabida debacchatus est insania.* Ejus propterea nomen adeò exosum, & execrabile fuit, ut in Edictis Imperatorum profligatissimi qui que Hæretici Porphyriani dicerentur. Verum ex Actis Concilii Ephesini jam patet, Porphyrii scripta adversus Christianos Theodosii M. jussu anno 388. jam combusta fuisse.

Eum

Eum laudat Eunapius in vita ; quem extremam senectam attigisse ex eo educit, quod in postremis suis scriptis quædam sunt, quæ primis à se editis repugnant; ex quibus existimet, eum ætatis progressu sententiam mutasse. Notat Nazianzenus Orat. 4. Julianum Porphyrii mendaciis, atque deliramentis tanquam divinis vocibus exultasse. Et Lud. Viv. de Causs. corrupt. Art. p. 181. Ex Aristotelis libris Topicorum sumvit Porphyrius, quæ de quinque vocibus composuit; opus, ut mea utique sententia, utilissimum, ita longe ab utilitate traditum. Aristotelis quoque Categorias explicavit.

Scripsit præterea de Divinis nominibus librum unum. De Principiis lib. 2. De Materia lib. 6. De Anima lib. 5. De Animalium abstinentia lib. 4. De cognoscendo seipsum lib. 4. Quod una fuerit Platonis, Aristotelisque sedēa lib. 7. In Historiam Juliani Chaldæi Philosophi lib. 4. De Homerica Philosophia. Ad Aristotelem quod Anima sit Entelechia. Philosophicæ Historicæ lib. 5. De Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente. De Nili Fontibus secundum Pindarum. De utilitate, quam Reges ex Homero percipere possunt, lib. 10. Miscellanearum Quæstionum lib. 7. In Thucydidis proœmium. Ad Aristidem lib. 7. In Minuciani Artem. Alia item plurima, præcipue Astronomica. Scripsit quoque librum De Vita Pythagoræ: Sententias ad intelligibilia ducentes: De Antro Nympharum, quod in Odyssaea describitur. Quæ omnia vertit Lucas Holstenius; qui Dissertationem de Vita, & Scriptis Porphyrii, & Observationes ad Vitam Pythagoræ adjecit. Cantabrigiæ in 8. 1655.

Notandum hinc, Divum Augustinum, aliosque sui ævi, putasse, duos hujus nominis Philosophos extitisse, Tyrium unum, de quo modò dictum, alterum Siculum. Quam sententiam idem Augustinus in suis Retractationibus mutavit. Hujus autem erroris causa ex eo profecta est, quod Porphyrius diu in Sicilia vixit, ut ipsem in Plotini Vita testatur.

J A M B L I C H U S

Chalcide Syriæ quæ Cœle dicitur, ortus, sub Constantini, ejusque filiorum, & Juliani Apostatae imperio Romæ floruit, ubi secundas post præceptorem suum Porphyrium obtinuit. Ejus laudes, & scripta vide in lib. 3. hujus Hist. ad finem. Addam quæ de eo habet ejus Vitæ scriptor Eunapius: His successit Jamblichus, ut clarissimi nominis Philosophus, ita & illustris genere, natus familia amplissima, & locuplete. Patria illi Chalcis, Syriæ, quam Cœlen vocant, civitas. Hic cum Anatolio, qui à Porphyrio secundum locum obtinuit, consuetudinem aluit, sed multis eum modis superavit, & ad summum Philosophicæ gradum ascendit. Ab eo conjunxit se Porphyrio, quo nullæ in re fuit inferior, præterquam in concinna orationis structura, dicendique facultate. Neque enim pari venere, & gratia ab eo dicta, instructa fuere: neque candorem habebant, & perspicuitatem: neque puritate sermonis exornare scripta laborabant, quamquam non omnino obscuritate involuta sit, aut vitium habeat oratio; sed (quod de Xenocrate dicitur Plato) non sacrificavit Mercurialibus Gratiis, &c. Thomas Gale, qui post Marsilium Ficinum, & Nic. Scutellium, Jamblichi opus de Mysteriis Chaldæorum, & Ægyptiorum edit, notisque eruditissimis illustravit: Julianus Apostata Oratione 4 observat, Jamblichum nonnulla scripsisse ἀχεις υποθέσεως, hoc est, non quod ita sentiret, sed ut argumento inserviret. Archangelorum doctrinam, & materię τοντον in hoc Tractatu amplectitur, alibi aliter philosophatur. Extant adhuc tres Juliani epistolæ ad Jamblichum scriptæ; ex quarum prima patet quanti ipsum Imperator fecerit, ubi hæc scripsit: Utinam, o Servator Jupiter, & Sancte Mer-

Mercuri, contingat, Jamblichum optimum, commune orbis terrarum commendum, longissima vita frui. Hinc Divus Greg. Nazianzenus Julianum Jamblichii discipulum etiam fuisse putat. De Vita Pythagoræ ab eodem scripta, hæc notat Card. Bona : *De Vita Pythagoræ libros 7. composuit, quorum quatuor dumtaxat ad nos pervenerunt : Duo priores editi sunt; duo posteriores habentur m. s. in Bibliotheca Vaticana.* Alios duos de ejusdem Pyth. vita m. s. habuit Lucas Holstenius, & editionem promittit. De hac Pyth. Vita sic Vossius de Hist. Græc. l. 2. c. 18. *Tractarat hoc argumentum antea præceptor ejus Malchus, sive Porphyrius; ex cuius libro multa vel iisdem, vel leviter immutatis verbis scripsit Jamblichus.* Ejus discipulos vide l. 3. hujus Hist.

JULIANUS

Parabates, hoc est, *Apostata* dictus, quod ab Orthodoxa Fide defecit, Julii Constantii, Constantini M. fratri, filius fuit. Prima Grammatices elementa à Mardonio Eunicho Ethnico Constantinopoli edoctus est. Deinde ab Imperatore Nicomediam missus, ut ab Eusebio Episcopo, sibi materna cognatione devincto, in Christiana pietate institueretur; ibi Rhetoricam didicit sub Eubolio, qui in Fide infirmus erat. Monachus etiam fuisse dicitur, & ad Lectoratus gradum ascendisse. Quo tempore licet Christianæ pietatis signa daret exteriùs, interiùs tamen Ethnicismum colebat. A recta autem Fide omnino divulsus creditur à Maximo Philosopho, & Magico, de quo supra in Maximo. In Philosophia præceptores habuit Macedonium, Eusebium Nicomediensem, Chrysanthium, Sardianum, Maximum Ephesium, Ædesii discipulos, aliosque; & præcipue Jamblichum, quem magni aestimavit, quod ex tribus Juliani ad ipsum epistolis patet, ut modò dictum est. Merito igitur Eclecticorum discipulus Eclecticis accensendus; quamvis non desint, qui ipsum inter Platonicos numerent.

Doctus, castus, sobrius, vigilans, laboriosus, exteriorem pietatem simulabat. Quare omnium amorem in se convertit; qui eum Imperatorem proclamarunt an. Chr. 360. imperiumque ex Constantii morte in Oriente liberum inde tenuit an. 361. Vix tamen imperium capefferat, cum personatam pietatem, quam simulaverat, deponens, crudeleque in Christum, ac Christianos odium exercens, templis idola, idolis cultum restituit; ac Summus Pontifex Ethnicorum cæremoniis factus, præclarum Baptismi Characterem victimarum sanguine delere conatus est. Ut autem Christianos à vera Fide abduceret (quod unum suum animi studium, & contentio erat) non tam violentis persecutionibus, quam dolis, & persuasionibus utebatur. Magis id se consecutum sperabat, Christianis Scholarum usu interdictis. Qua de re ita Vossius Philolog. p. 7. *Interdixit iste Apostata Scholarum usum Christianis, ratus, nullam acerbiorem fore persecutionem, neque expeditiorem viam evertendæ Religionis, quam si à studiis literarum Christiani arcerentur.* Nimirum acutus, ac perspicax Imperator satis videbat, quo pacto magis nocere posset Religioni Christianæ. Cum aliquando sibi oblata essent scripta, quibus Evangelium defendebatur, ipsis lectis hæc subscrispsit: Αὐτέγων, ἐγών, κατέγων, hoc est, Legi, Intellexi, Damnavi. Cui Basilius pro omnibus respondit: Αὐτέγως, αὐτὸς ἐγώς, αὐτός εἰμι κατέγως: Legisti, sed non intellexisti; si enim intellexisses, non damnasses. Christum Dominum ad despicatum Galilæum vocabat, vel Nazarenum. Theodoricus, Cassiodorus, & Nicephorus scribunt, Julianum in bello contra Persas hasta cœlitus vulneratum, haustum cava manu proprium cruentum versus Cœlum adspersisse, atque hanc in Christum a quo impie

impie desciverat, blasphemiam addidisse: *Vicisti tandem, Galilæe: Satura Te, Nazarene.* Quibus dictis scelestissimam animam exhalavit 26. Junii an. 363. ætatis verò trigesimo secundo non expleto, cùm duos non integros annos regnasset. Quis autem Juliani percussor fuerit, varia est autorum opinio. Socrates afferit, Callistum, suorum vigilum unum, qui ejus etiam vitam scripsit, ipsum à dæmone percussum affirmasse. Sozomenus ait, quosdam hunc iustum Persæ cuidam tribuisse, alios Sarraceno, Romano alios. Quivis tamen is fuerit, divinæ vindictæ profecto minister extitit. Ad bellum enim contra Persas iturus, in quo & occubuit, impie juravit, se Christi Ecclesiam post redditum funditus eversurum. Hanc horrendam Juliani mortem eodem instanti S. Sabæ Anachoretæ, qui ad viginti dierum iter, & amplius à castris distabat, atque aliis revelatam, multi scribunt.

Inter viros doctrina claros refertur, literatus, literarumque amantissimus, moribus commendabilis, justus, ingenio acer, sed nimis satyricus, captus facilitate, & eruditione plerisque omnibus Principibus superior, qui Imperii Romani clavum tenuerint; & ut breviter dicam, Princeps, ut multi eum vocant, ad unguem factus, odium in Christianos si excipias. Ejus doctrinam, & mores laudant Libanius, & Ammianus Marcellinus, præcipui ejus fautores; quorum ultimus id notat præ cæteris: *Per omnia Philosophiæ membra prudenter disputando currebat Julianus, &c.* Gul. Cave in *Introduct. ad suos Ecclesiasticos*; Aet. Erudit. vol. 2. p. 311. atque alii.

Verum quis unquam Julianus fuerit, videri potest apud Greg. Nazianzenum in *Orat. adversus Julianum*; Joh. Chrysost. Hieron. Optat. Rufin. Zosim. Eutrop. Baron. aliosque. De immani ejus in Christianos odio, & persecutionibus potiora hic scelera adnotabo. Contra jus gentium Persarum Legatos Emanuelem, & Ismaëlem Chalcedone morti dedit, quod Christiani essent. Idololatras Christianis præferebat. Horum alternos in Ecclesia cantus, Ecclesiasticas dignitates, precum formulas, publicas quasdam pœnitentias pro publicis peccatis expiandis, leges, ritus, & cæremonias in idolorum templis intrudere statuit: Scholas, quas Fidelibus interdixerat, publicas pro Ethniconrum doctrina, & moribus decrevit: Xenodochia, pauperum Hospitia, Virginum Cœnobia, atque cætera, quæ Christianis in more sunt, Idololatras habere voluit Christianorum simia, & osor Julianus; ut ex ejus epistola ad Arsacium, & ex Sozomeno colligitur; sed morte præventus impia hæc omnia ex voto explere non potuit. Hæreticos ab exilio revocavit: Donatistas in Africa remisit: & ut verbo rem absolvam, quæcumque Christianis nocere possent, non prætermisit. Chalcedonis Episcopo, qui cæcus erat, ipsum publice de sua impietate arguenti, audacter respondit: *Sed tuus Galilæus amissos tibi oculos non restituet.* Cui Episcopus: *Malo luminibus cassum esse, quam iis præditum te Apostamat adspicere.*

Scripsit *Orationes*, *Epistolas*, *libros contra Christianos*, præcipue ad bellum contra Persas iturus; quibus libris respondit Divus Cyrillus excellenti opere, quod Theodosio M. dicavit. *Librum de Cæsaribus*, quo Romanorum Imperatorum, qui ipsum præcesserant, vitia insectatur. *Misopogonem adversus Antiochenos*. *Hymnum in Solem*; opus Eclectica Philosophia refertum, &c. Ejus opera omnia Dionysius Petavius Parisiis 1630. edi curavit in 4. atque Spanheim 1696. nova editione Lipsiæ publici juris fecit, additis etiam notis. Ejusdem Panegyricas *Orationes* tum prosa, tum versu elaboratas, collegerat olim Eunapius.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ DION CHRYSOSTOMUS

PAsicratis filius, patria Prusæus ex Bithynia, inter Philosophos, qui Romæ claruerunt, numerandus erat; sed quia, cui sectæ addictus fuerit, nemo scripsit; in hujus capitinis calce seorsum ab aliis locandum duxi. Tempore Nervæ, & Trajani, in fine scilicet primi, & initio secundi seculi floruit; eumque Trajanus apud se plerumque viventem, sibique carum, ac familiarem, eodem saepe curru dignatus est. Hinc tradit Suidas, eum magnificentiam adeo affectasse, ut Leonina pelle indutus in publicum prodierit.

Scripsit *Orationes* 24. quæ etiam nunc extant ex interpretatione Thomæ Naogeorgii cum Notis Isaaci Casauboni: *De Alexandri Virtutibus libros 8.* Et librum *An Mundus sit corruptioni obnoxius*. In his Operibus Oratorem simul, & Philosophum se præbuit eximium. Quare non immeritd Synesius in Dione ipsum *Aquilam*, & *Cynum*, idest, *Philosophum*, & *Oratorem* appellavit.

De ejus Scriptis sic bene sentiunt autores. Philostr. de Vit. Sophist. *Optima verò, & laudatissima est in Dionis Orationibus affectuum temperatio* . . . Sed & reliquo quoque philosophandi instituto fuit non omnibus exposito, aut simulatio, sed ejusmodi, ut gravitate quadam instaret, non secus ac condimento insita sibi humanitate temperata. Quām porro Historiæ scribendæ aptus fuerit, argumento sunt ab eo scripta *Getica*. Inter ejus tamen Orationes optima, & copiosissima censetur Oratio de Ilio à Græcis non capto. Photius in Biblioth. Dion in dicendi arte acutus, & solers est habitus. Orationes scripsisse plurimas referunt, quarum octoginta in meas inciderunt manus, &c. Thomas Naogeorgius in Praefat. in Dionem: Dion Prusæus propter aureum eloquentiæ flumen cognomento Chrysostomus, summus & Philosophus, & Orator, cui ego quem præferam nondum inventi. Non spinosa docet, aut injucunda, neque abruptis sententiolis rem obscurat, ut Aristoteles; neque absurdæ, atque communi sensu abhorrentia tradit, ut Plato, neque, ut idem, longis perplexisque suspendit lectorum ambagibus, &c. Vide etiam Card. Bona in Notit. Autorum: Volaterran. &c.

Atque his de Dione, aliisque Romanorum Philosophis adnotatis; ad reliquos cæterarum gentium Philosophos numerandos gradum faciamus: quos per sectas distinctos tradentes, à Pythagoreis, qui secta reliquis priores fuere, initium sumemus; à quibus gradatim, & ætatis ordine ad reliquarum sectatum Philosophos veniemus.

C A P U T II.

De Pythagoricis Recentioribus.

Exactis Romanorum Philosophis, eorumque vita, & doctrina, qua fieri potuit, claritate, brevitateque exposita; cæterarum gentium Philosophos, qui Recentiorum nomine digni sunt, breviter adnotare ad hujus Historiæ complementum necesse est. Eadem igitur methodo insistens, qua in superiori Libro usus sum, eos omnes non secundum gentes, vel tempora enumerabo, sed in Sectas distinctos; ætatis verò in singulis Sectis ordinem servare ordo erit. Cur autem primum hujus Libri Caput Romanorum Philosophis præcipue dicaverim, si quis miretur, respondeo, me id' consulto, & ex proposito fecisse ad ostendendum, nos Romanis disciplinas omnes, ac potissimum Philosophiam, acce-

acceptas referre, qui eas ad nos è Græcia cum imperio deportarunt. Atque hoc est, quod Græci indigne ferentes querebantur, ut supra in Cicerone dictum, Romanos ne dum imperium, sed & scientias, quibus ipsi Romanis præstarent, ad suos transtulisse. Ea enim literarum sors semper fuit, ut eas nonnisi in imperii felicitate vigere videremus. Præter quam quod Romanorum Philosophis, qui ætate, numero, dignitate reliquis præstabant, singulari memoria dignum aliquod debebatur. Sed ad rem.

E U E P H E N U S

PHilosophus Pythagoricus, à Dionysio Syracusarum Tyranno morti damnatus, quod Metapontinos sibi fœderatos ab icto fœdere abduxerat; imperterritus Dionysio dixit, se ad mortem utique paratum, tantum optare, ut, antequam morti daretur, in patriam ire potestas ei fieret, ut suam ibi sororem marito nuptum daret: quo facto statim Syracusas ad mortem subeundam se redditum dixit. Quod sidentibus iis, qui aderant, Tyrannus eum interrogavit, quam de reditu cautionem daret? Cui ille: Ecce tibi Eucritum amicum meum sponsorem redditus ad sex menses, & obsidem trado. Dionysius, accepto obside, ipsum abire permisit. Euephenus ad datum tempus Syracusas rediens se Tyranno tradidit, obsidemque petiit liberari. Sed Dionysius amborum virtutem summe miratus, ne dum utriusque libertatem largitus est; sed in eorum amicitia tertius esse voluit. Idem de Damore, & Pythia relatum legimus.

N E A R C H U S

PAtriā Tarsensis, Sectā Pythagoricus, quo hospite, & præceptore familiareriter usus est M. Cato Censorius, dum adhuc adolescens sub Fabio Maximo militavit, quum hic Tarenti erat, ut notat Plut. in Vita ejusdem, M. Catonis, cuius verba sunt: *Cum Fab. Maximus Tarentum reciperet, sub eo forte admodum adolescens militabat Cato. Hospitio usus Nearchi cuiusdam Pythagorici, desideravit eam disciplinam intelligere. De iisdem cum differenter illum audivisset (quibus Plato usus est, qui voluptatem maximam malis escam vocat: calamitatem animæ primam, corpus: liberationem, & purgationem illas cogitationes, quibus maxime à corporis affectibus avocat, & abducit seipsum) amplexus est multò acrius frugalitatem, & continentiam.*

Fuit & alter *Nearchus Alexandrinus*, qui cum Alexandro Magno militavit, de quo Historiam scripsit; nostrumque Nearchum ætate longe præcessit.

X E N O P H I L U S.

QUAMVIS hic, antiquissimus cùm sit, inter Recentiores numerari non debat; quia tamen in superiori libro cum Pythagoricis non fuit recensus, nam de Pythagoricæ Scholæ successione non erat; liceat hīc ipsum adnotare. Eadem detur, quæso, venia in aliorum recensi, qui suum inter Recentiores locum rigorose non merentur. Fuit igitur Xenophilus tum ob suam doctrinam, tum ob longævam vitam, quam sanam semper duxerat, celebris. De eo ita Lucianus in Macrobiis: *Xenophilus Musicus, perhibente Aristoxeno, Pythagoricæ Philosophiæ candidatus, ultra quinque & centum annos Athenis vitam traduxit.*

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

A POLLONIUS TYANEUS

Philosophus Pythagoricus, sed Pythagoreorum omnium in Magica arte
callentissimus, & ἀναμνηστοις, præstigiator celeberrimus, si ejus vitæ
scriptoribus præstanta fides sit; natus est Tyanæ, quæ Cappadociæ urbs est;
unde à patria Tyaneus appellatus. Totum ferme orbem peragravit, sive di-
scendi causa, ut ait C. Rhodiginus, sive potius ut ubique præstigia patrando
sibi famam, & a seclis aucuparetur. Quæ Apollonii præstigia non mediocre
Christianæ Fidei damnum attulere; quod Ethnici crederent, Apollonii, &
Christi Domini vitam, & facta, & portenta non differre, ut præter alios ad-
vertit Baronius ad an. Chr. 68: ubi ait: *Vix quisquam satis digne valeat unquam
exprimere quantum humano generi obfuerit Philostratus scribendo res gestas
Apollonii Tyanei, easdemque amplificando mendaciis: ut videatur plane inven-
tum fuisse diaboli.* Quod enim non valuit perficere in Simone Mago nuper ex-
tincto, id in Apollonio implere conatus est: quippe qui æmulus Christi gloriae,
sicut scripto jam Evangelio longe, lateque per orbem innotescabant Christi res
gestæ; suum ipse statuens Antichristum, Pseudoëvangelium quoque actorum
ipsis per mendacissimum hominem scribendum curavit; cui fidem præstantes
homines, nihil Christo minorem fuisse Apollonium existimarent; vel, sicut
istum ea perfecisse Magiæ complures compertum haberent, eadem quoque arte
Christum usum esse, falso, ac absurde effutirent, &c. Ex tot miris ab eo pa-
tratis, quæ ejus vitæ scriptores, sive potius impostores referunt, unum vel al-
terum hic adnotare sufficiat. Domitiano infamem sacrificare præcipiens, ipsum
Imperatorem futurum prædixit. Quod cum ex prædictione accidisset, Domi-
tianus Imperator electus ipsum morti damnavit: sed Apollonius Cacodæmo-
nis ope ab ejus conspectu evanuit, Puteolos ab eodem translatus. Ephesi de-
gens coram populo vultu acer, & severus forti voce clamavit: *Percute Ty-
rannum: Percute Tyrannum;* jamque cæsum Domitianum certo certius asse-
verans, magnam sibi & famam, & gloriam comparavit apud omnes, qui ex
nuncio non longe post Ephesum veniente, & Domitianus cædem referente,
verum cognoverunt, quod Apollonius, longissime à cæde dissitus, quasi præ-
sens adspiceret, affirmavit. Atque hinc factum, ut multi Apollonium in
Deorum numerum referrent, putantes, nonnisi Deum tot supra naturæ vires
mira patrare potuisse. Quare Hierocles Philosophus ex Areopagi judicibus
(de quo mox in Platonicis) religione Ethnicus, non est veritus ipsum cum
Christo Domino comparare in peculiari libro contra Christianos composito;
quem deinde refellit Eusebius. Eunapius etiam dixit, Philostratum suo operi
inscribere non hunc titulum debuisse: *Vita Apollonii Tyanei;* sed *Accessus Dei
ad homines.* Et quidem Imperator Caracalla, ut refert Dion Cassius, ej templum,
tanquam Heroi, erexit. Et Xiphilinus addit, hunc Imperatorem non
alia id ratione fecisse, quam ut ad perpetuam memoriam celeberrimus hic im-
postor, & magus perduraret. Sed fabulosa portenta, Apollonio adscripta, Ju-
stinus Martyr plane detexit, & post ipsum Eusebius. Johannes Apostolus,
Ephesi degens, Apollonium fortiter oppugnavit.

Apollonii Vitam (sive potius fabulosam historiam) omnium primi scrip-
te Damis Assyrius, ejus familiaris, discipulus, peregrinationis, & impostu-
rarum comes, à quo suam defumis Philostratus, quam 8. libris conscripsit, in
qua Apollonium moribus, & doctrina Pythagoricum se præbuisse afferit: quos
libros ipse Philostratus l. i. c. 3. postulato Juliæ, Severi Imperatoris uxoris, cui
Epistolarum Magister ipse erat, se fecisse testatur, quia hæc Sophistarum ora-
tiones omnes commendabat, & amabat: Philostratus enim sub Severo usque

ad

ad Philippum vixit. Soterichus Oasites, Poëta Epicus, qui sub Diocletiano etiam vixit: Maximus Ægiensis, & Mœrogenes, quorum meminit Joh. Tzetzes Chil. 2. Hist. 60. & Hist. 291. Deinde eandem coctam crambem recoxit Nicomachus, qui Aureliani tempore floruit, ut refert Sidonius 1.8. Epist. 3. his verbis: *Apollonii Pythagorici vitam (non ut Nicomachus senior è Philostrati, sed ut Tascius Victorianus è Nicomachi Schedio exscripta) quia jusseras, in ista Apollonii autem vitae, & Philostrati meminit Eunapius in Proœmio Vit. Philos. & Sophist. Et Flavius Vopiscus, qui Apollonii facta se celebraturum promittit in Aureliano, magnum ibi de Tyaneo elogium, Philostrato fidem tenens, confecit. Lucianus, qui unus ante Philostratum de Apollonio mentionem facit, in Historia celebris Alexandri Abonotichites tantum afferit, hunc de Apollonii schola extitisse.*

Sed contra Apollonium, & ejus vita scriptorem Philostratum, ex antiquis fuere Bassus, & Euphrates Philosophi. Ex recentioribus, præter Ecclesiæ Patres ferme omnes, qui stylum in ipsum acuerunt, Lud. Viv. inter primos Criticos unus, de Trad. discipl. l. 5. p. 625. *Philostratus in historicis magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit. Et ibidem p. 630. Philostrati Apollonius pene totus figmentum est rabiosum, ac blasphemum hominis in fingendo non inexercitati, qui que historias comminisceretur de iis, que nemo unquam vel vidisset, vel audisset.* Joseph Scaliger ait, Philostratum in narratione prodigiorum Apollonii neque veri, neque verisimilis rationem servasse, ac verum præstigiatorum plusquam Philosophum, probum, sanctumque hominem ostendere voluisse. Idem sentiunt Vossius, Casaubonus, & Lipsius, qui addit, Philostratum, hominem nugatorem, & mendacem, in Romana Historia sæpius errasse. M. de Tillemont Anachronismos etiani, & σφάλματα, errores in Philostrati Vita Apollonii adnotat. Et, ut paucis dicam, Historici, ac Critici omnes tum sacri, tum profani, merum Philostrati figuraentum quidquid ipse de Apollonio scripsit, esse putant; eumque magica arte, ac diaboli tantum ope aliquid pollentem, versutum virum affirmant. Addam quod habet auctor libri, cui titulus *Historia Apollonii Tyanei*; quam falsitatis, & imposturæ arguit. 1. Quia hæc Historia testibus fide dignis non probatur. 2. Quia Philostratus non Historiam, sed Fabulam scribere videtur. 3. Quia miracula, quæ Apollonio tribuit, casui, goëticæ arti, & præstigiis tribui possunt, si quæ sunt, nam potius ficta videntur. 4. Denique quia hujus Philosophi doctrina rectæ rationi, ac sapientiæ, quæ vel solo naturæ lumine haberi potest, contraria est. Vide hujus libri auctorem, qui est M. du Pin; Lactant. Instit. c. 2. Anastasium Nicæum q. 23. Cœl. R. hodig. l. 17. Lect. Antiqu. c. 13. qui eum omnium, qui unquam historiam conscriperint, mendacissimum appellat: Vossium de Hist. Græc. &c. Verum Guilhelmus Philander Castilionius in suo in *Vitruvium*. Comment. hanc Apollonii Vitam non Philostrato, sed Luciano tribuere videntur, ut advertit Gilbertus Cognatus in Annotat. in *Lucianum*. Hoc tamen (quod pace tanti viri dixerim) repugnare videtur, quum Lucianus Apolloniæ scholam, è qua suum *Alexandrum* fuisse ait, obrectet, dicens ad contemptum: *Vides quanam è schola tibi hominem refero?* Vide etiam Morery in Sup. Lex. Hist. & Robert. Bail. in Opere suo Hist. & Chronol. Phot. Possevin. &c.

Scripsit Apollonius de Astrologica divinatione lib. 4. & Tractatum de Sacrificiis; quæ jam interciderunt. Discipulus fuisse fertur Euthydemus Tarsensis, & Euxenius ex Heraclea. Mortuus tandem est an. sal. 97. sive 99. ut ex aliis. Mortis autem locus, & modus penitus ignoratur; nullum enim mortis suæ testem voluit, nec etiam ipsum Damidem, quem discipulum, & comitem semper habuit. Tantum conjectari licet, ipsum infelicem vitæ exitum habuisse,

ex eo, quod Lucianus in Alexandro Apollonii vitam Tragœdiam appellavit, dicens: *Porrò doct̄or ille, & idem amator, natione Tyaneus erat, videlicet ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyaneo illo erant versati, totamque illius tragœdiam pernoverant, &c.*

NUMENIUS

Genere Græcus, Secta Pythagoricus, & quidem præclarus, ut eum appellat Eusebius lib. 14. c. 2. Apameæ, quæ Syriæ urbs est, sec. 2. ortus dicitur. Scripsit Tractatum de Principiis Pythagoræ, & Platonis; in quo Platonem à Mose derivasse, ait, quæ de Deo, & Mundi Creatione scripsit. Hinc dicebat: *Quid enim est Plato, quam Moses Atticissans?* ut supra quoque in Platone notavimus. Scripsit & alia. Vide Euseb. Præp. Evangel. lib. 11. 13. & 14. Suid. Jonsum 3. 10. &c.

Alius tamen hic fuit à Numenio, Pyrrhoniacæ sectæ alumno, qui Pyrrho ni etiam coævus creditur, de quo Diogenes Laërt. lib. 9. in Vita Pyrrhonis. Atque hæc de Pythagoricis, qui, ut sæpius dictum, ultimis temporibus paucissimi extitere, quod omnibus ob magiæ suspicionem essent invisi. De Pythagoricis scripsere Aristoteles, Aristoxenus, Heraclides, & Neanthes. Vide Jonsum, &c.

C A P U T III.

De Platonicis, & Academicis.

HERACLITUS TYRIUS

ATyro, ubi natus est, sic appellatus, Ciceroni coævus, Clitomachi, & Philonis discipulus fuit; Antiochi verò Ascalonitæ familiaris. De ipso sic Cicero Acad. Quæst. lib. 2. edit. 1. Et erat jam Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat; homo sane in ista Philosophia, quæ nunc prope dimissa revocatur, probatus, & nobilis; cum quo & Antiochum sæpe disputantem audiebam, sed utrumque leviter - - - Tum igitur & cum Heraclitum studiose audirem contra Antiochum differentem, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, ut caussam ex eo totam cognoscerem. Itaque complures dies, adhibito Heraclito, doctisque compluribus, & in his, &c.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA

TNus ex Areopagi (quod supremum Athenarum Tribunal erat) judicibus fuit eloquentissimus, & in omni Græcorum sapientia eruditissimus. Hic sub imperio Tiberii Cæsar is cum Apollophane Sophista in Ægyptum abivit, ut cum sapientibus ejus loci viris conversaretur. Ibi Heliopoli solis defectum (qui multis terræ partibus eadem horâ communis fuit) adspiciens, qui in Christi Domini morte accidit; nullum verò eo tempore lunæ interjectum observans, sed hunc præter naturæ ordinem evenisse considerans, dixisse fertur: *Ἄ τὸ δῶν πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει: Aut Divina natura patitur, aut patienti compatitur.* Ex Suida. Deinde Christi fidem Athenis degens, per Apostolum Paulum edoctus, ut ex Act. Apostol. amplexus est: à quo etiam Ath-

Athenarum Episcopus factus, pro ejusdem Fidei testimonio Martyrii palmam promeruit sub Trajano.

Magna inter recentiores Criticos quæstio est, an hic unus, idemque sit cum Dionysio Parisiensi, an diversus. Eundem faciunt Baronius, Spondus, Hilduinus, &c. atque ad id afferunt, Dionysium Areopagitam, postquam Ephesum adivit, ut Johannem Apostolum ab exilio revocatum viseret; inde Romam venisse, atque à Clemente Pontifice in Galliam una cum Regulo, Rustico, & Eleutherio missum, primum Parisiensis Ecclesiæ Episcopum extitisse; ibique capitis damnatum, divulsum à corpore caput ad aliquod spatum manibus portasse: quæ vulgaris opinio est. Contra verò P. Sirmond. Joh. Launoy, ac plures Critici scriptores diversum probant: quos vide.

Major tamen quæstio est de Operibus, quæ vulgo Areopagitæ tribuuntur. Validissimis autem rationibus, ab iisdem operibus desumptis, celebriores Critici evincunt, hæc opera non nisi in sec. 5. apparuisse; composita verò credant ab aliquo Philosopho eloquentissimo: potissimum quod Eusebius, Hieronymus, aliique vetustiores, qui de Dionysio loquuntur, nunquam horum operum meminerint. Vide cit. Sirmond. Launoy, Du Pin, &c.

De ejus Philosophia hæc Cozzandus de Magister. Antiqu. Philos. lib. r.c.9. *Dionysius Areopagita, qui negari non potest, quin gentilis Philosophus secta Platonicus fuerit, discipulus Apolloniani, præceptorque Athenodori Atheniensis; alii omnino ab eo, qui Augusti præceptor, &c. Verum præter unum Eusebium in Chron. ad an. Chr. 52. ubi ait: Dionysius Areopagita præstabilis sicut Philosophus claret; nullum adhuc inveni ex vetustissimis scriptoribus, qui ejusdem Philosophiam memorent.*

LUCIUS APULEJUS

Philosophus Platonicus, Madauræ in Africa natus est ex patre Theseo, viro eximio, & matre Salvia, quæ Plutarcho, & Philosopho Sexto sanguine juncta erat. Carthagine primum, deinde Athenis literarum studiis insignem navavit operam; ac potissimum Platonicæ Philosophiæ, in qua præceptorem habuit Vastium, ut ipse eum vocat lib. r. Metamorphos. Sec. z. vixit, sub Adriano scilicet, & utroque Antonino. Inde Romam venit; ubi Jurisprudentiæ addictus, tantum in ea profecit, ut inter insignes Oratores numeraretur. Sed Jurisprudentiæ hinc posthabitæ, Philosophiæ totum se devoxit. Pudentillæ, ditissimæ viduæ nupsit. Atqui à Sicinio Æmiliano coram Claudio Maximo, Africæ Proconsule, de Magia accusatus, quod amatoriis philbris, sive Magica arte Pudentillæ amorem captaverit, ac ejus filium Pontianum morti dederit; ipse optimâ Apologiâ, quæ *Oratio de Magia* inscribitur, se defendit; quam Divus Augustinus Sermonem eloquentissimum, ac florentissimum appellat. Clarissimus Carthagine professor fuit; ubi statua ei dicata: cuius rei pluribus meminit lib. 3. Florid. ac gratias Carthaginensibus egit de honore sibi adjudicato, præsertim Straboni Æmiliano Consulari viro, qui in Carthaginem curia sententiam dixit, ut statua ei poneretur: cuius autoritatem Carthaginenses omnes fecuti sunt. Quem Strabonem Æmilianum suum fuisse condiscipulum ipse testatur.

Scripsit *Metamorphosim*, sive *Afinum Aureum* lib. rr. Quæ paraphrasis est ejus, quam habet Lucianus, qui Lucium ex Patris in suis Metamorphosibus, sive Transformationibus fecutus est; de quo Photius. Ipse tamen hujus fabulæ argumentum ab origine à se formatum ostendit in primis fabulæ verbis, quæ sunt: *Fabulam Græcanicam incipimus. Lector intende, lætaberis. Hoc Opus etiam Mile-*

Milesiæ dicitur. Reliqua ejus Opera sunt: *Oratio de Magia*, de qua modò diximus: *De Dogmate Platonis*, sive *de Philosophia lib. 3. I. de Philosophia Naturali. II. de Philosophia Morali. III. de Philosophia Rationali. De Deo Socratis. Florida*, sive *Ludicrorum libri*; atque alia à Servio, Nonio, ac Fulgentio relata, quæ ad nos non pervenerunt.

De Apuleji Operibus non eadem est autorum censura. Commandantur in Anthol. Græc. lib. 5. Epigram. 59. ubi Apulejus *Sacerdos arcanæ sapientie, Ausonia nutritus Strene* dicitur. A Barth. lib. 55. Advers. c. 2. Proprietatis Latinæ scriptor optimus appellatur; & mirifico acumine *disertissimus*; & ab eodem in Notis majoribus ad Claudianum p. 1259. vocatur *Scriptor unus omnium maxime proprietatis amans, & veteris Latinitatis, supra quam vulgo credatur, conservator*. A Joh. Sarisberiens. lib. 7. c. 6. ubi ait. *In utraque lingua Græca scilicet, & Latina nobilis extat Apulejus Afer, vir magnus imprimis, & qui venustate morum, & dicendi copia Socraticum fontem, & torrentem Platonicum facile redoleat vel tenuiter sapienti*. A Schoock. in fabula Hæmel. p. 27. *Vir in omni parte Philosophiae versatissimus*. A Volaterr. lib. 13. *Omnigenæ vir eloquentiæ*. Additque ibidem: *In verbis novus, in sententiis creber, in inventione acutus, in translationibus audax, in elocutione varius*.

Contrà verò sentit Lud. Viv. de Trad. Discipl. l. 3. ubi: *Apulejus in Afino plane rudit. In aliis sonat bominem, nisi quod Florida sint ridicula; sed excusat ea Inscriptio*. Mitius tamen se gessisse videtur in Comment. in Augustin. lib. 18. de Civ. D. c. 18. ubi ait: *Id opus de Aureo Afino sic latinum fecit Apulejus, ut ad verbum expresserit plurima, additis plerisque, quo jucundior esset lectio iis, qui Milesis fabulis delectantur, & condivit sua illa partim antiquaria, partim nimis audaciter novata dictione rem alioqui futuram subinsulfam, atque subfatuam. At nunc juvat legere, quia phrasii illa complura dixit, quæ nec appositius dici, nec majore cum gratia poterant: quem non nulli cum imitari conentur, in ridiculas ineptias incident*. Puto enim, gratiam illam esse prorsus inimitabilem. Et ibidem lib. 8. c. 19. Extant Apologie duæ Apuleji de Magia in quibus exuit nimiam illam sermonis lasciviam, & antiquaria, & audaciter innovata verba: accommodavitque se forensi dicendi generi, sed ita tamen, ut, nescio quo pacto, Apulejum internoscas tempora via persona conteatum. A Caussino dicitur *Autor cautæ lectionis, & periculæ imitationis*. Joh. Budæus à Stap. in lib. 1. c. 9. Theophrasti de Plantis: *Apulejus librum suum de Salutaribus Remediis ex Plinio totum compilavit*. Arnold. Boot. in l. 2. c. 5. Animadvers. Sacrar. ad Text. Hebr. Vet. Testam. *Quem locum (in libro de Mundo ab Apulejo verso, qui Aristoteli falso tribuitur) valde iudicenter, atque imperite vertit Apulejus, & que ac totum librum; cui se fædo, ac miserabili plagio non Interpretem, sed Autorem inscripsit, atque multis etiam doctissimis viris, quanquam in re manifestissima, imposuit*. A Dempster. in Rosino *Inepta dictione, rebus eruditus appellatur*.

Medium inter hos sententiam tenere videtur Lipsius l. 2. Epistolic. Quæst. Epist. 22. cùm ait: *Ego vero Apuleji lectionem abhorrendam non censeo, quidquid isti de Arpinati schola investes pueri dicant: tumidus fortasse, vegrandis, & adfectatæ elegantiæ scriptor est: at certe doctus literas, & mores veteres, & in sermone ipso Plauti imprimis imitator. Itaque ille nescio quis Rhetorista, qui ruacere illum dixit, non loqui: probet prius de Plauto, & credam de Apulejo*. Et lib. 11. Elect. c. 2. *Stylum ejus ineptum esse volunt: fatebor in parte (nec enim asperitatem illam, & horrorem quæstæ dictionis usquequaque excuso) sed tamen docte ineptum, & è quo multa bona, selectaque hauriat bonæ, selectæque mentis lector*. Vossius part. 2. Orator. Institut. p. 13. 246. 450.

Cujus

Cujus phrasis docte inepta est - - - Apulejum sane scriptorem doctissimum nimio Epithetorum usu peccare, non vulgus modò, ad cuius palatum is nibil sapit, sed erudit quoque confitentur - - - Neque solum voces è tribus, aut pluribus compositas vitabit Orator; sed nec eas, quæ grandioris sunt soni, cum laude usurpabit, nisi veniam petat pudentem. Delinquunt bac in parte vengrandis, & adfectatæ eloquentie scriptores, quos inter dicit familiam Apulejus. Turneb. Adversar. lib. 18. c. 14. Apulejus non omnino malus autor, & antiquarum vocum usurpator. Et lib. 29. c. 13. Apulejus interdum non malus autor, præsertim cum lasciviae ingenii non indulget, neque ludum sibi permittit. Tandem Gasp. Sciopp. lib. 1. suspect. Lect. Epist. 4. Et quis non rideat, immo ringatur verius, super stolidissimo illo vulgi de Apulejo judicio? Ajunt, cum rudere, quam loqui maluisse. Dicit, Deoque, & quod non evadet denique projectissima illa hominum audacia! Tot jam, & saepe unicis doctissimorum virorum, adde, si ita vis, Ciceronianorum, elogitis condecoratum facetum illum Milesiarum scriptorem etiamnum rudere? Sed quoniam nequicquam inveteratum, & jam olim radices agentem errorem hunc ex animis volgi expectoratum imus, feramus sane, quæ mutare nefas: illud interim professi, malle nos illum rudentem saepe, quam hos loquentes, sive latrantes audire.

Notandum hic ex Cassiodoro, Apulejum primùm Arithmeticam Latinis literis illustrasse. Vide etiam hujus Hist. l. 3. p. 101.

T A U R U S B E R Y T I U S

Celebris in Platonica Secta Philosophus floruit sec. 2. sub Antonino Pio. Ejus meminit Euseb. in Chron. ad an. 148. dicens: *Taurus Berytius Platonicae sectæ Philosophus clarus habetur*. Ad eum Athenis degentem, & philosophantem audiendum complures veniebant: physicas namque, ethicasque saepissime quæstiones agitabat; quas videre est apud Agellum ejus familiarem, saepe etiam symposiastem, qui ipsius laudes pluries enarrat, præcipue lib. 6. c. 10. his verbis: *Philosophus Taurus, vir memoria nostra in disciplina Platonica celebratus, cum aliis bonis multis, salubribusque exemplis hortabatur ad Philosophiam capessendam, tum vel maxime ista re animos juvenum expergebat, &c.* In Agelli Noctium Atticarum libris non semel Taurum loquentem, & docentem invenies: ut lib. 1. c. ult. ubi ex Plutarchi sententia examinat, An & quomodo sapiens irascatur: lib. 2. c. 2. decernit, Quæ ratio, & observatio officiorum esse debeat inter patres privatos, & filios, qui in magistratu sint, in discubendo, sedendo, atque in id genus rebus, domi, forisque: lib. 17. c. 8. caussam exponit, Cur oleum saepe, & facile, vina rarius congelascant, acetum haud fere unquam; & quod aquæ fontium, & fluviorum durentur, mare nunquam: lib. 12. c. 5. sermonem habet De modo, ac ratione tolerandi doloris secundum Stoicorum decreta. Notat hic Agellius, Taurum cum Stoicis in doctrina semper dissentisse, atque super ea re librum composuisse.

Scripsit, ut notat Suidas, *De Differentia dogmatum Platonis, & Aristotelis. De Corporibus, & Incorporeis. Et alia plurima. Contra Taurum* scripsit Atticus Platonicus libros 7. quibus Platonis cum Aristotele consensum probavit.

V A L E N T I N U S

Natione Ægyptius, Platonicae Philosophiæ sectator, vir doctus, & eloquens, sec. 2. sub Antonino Pio floruit, ut Euseb. in Chron. ad an. Chr. 146.

testatur his verbis: *Valentinus hæreticus agnoscitur, & permanet usque ad Antæcum*. Catholicam Fidem in Ægypto primùm, deinde etiam Romæ prædicavit. Sed suas optimas animi dotes magna, qua tenebatur, dignitatum ambitione denigravit. Cum enim alterum in Episcopatus collatione sibi prælatum videret; id ægre ferens, Christi Fidem abnegavit, atque fabulosam, portentosamque hæresim in Cypro evulgavit, Poëtæ Hesiodi deliramenta secutus, Deos usque ad triginta statuens, quindecim eorum mares, totidemque feminas, quos Græca voce Αἰώνας, Latine *Secula*, appellavit. Ex horum autem mistione Christum Dominum, veluti Pandoram, natum fuisse; atque per Virginis Matris corpus cœlesti corpore eundem induitum tanquam per canalem transiisse. Docebat etiam, cunctos homines non surrecturos. *Evangelium*, & *Psalmos* suo nomine vulgavit. Ejus discipuli, quos plurimos habuit, Gnosticorum etiam peripse mata secuti sunt. Quamvis tamen Romam veniens suos errores detestatus fuerit; mox tamen ad vomitum rediens, eos pertinacissime defendit. Adversus Valentiniū calamum strinxerunt, ac validissime ejus somnia impugnarunt Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, Theodoreus, & alii plures.

S. AURELIUS AUGUSTINUS

Patre Patricio, Matre S. Monica natus est Tagastæ, quæ civitas est Numidiæ in Africa non procul à Madaura, & Hippone Regio, idibus Novembris an. Chr. 354. sub Constantio Imperatore. Madauræ primùm, deinde Carthagine politioris humanitatis studiis eruditus, licet Manichæorum hæresi addictus, veritatis tamen studio tenebatur; ad quam primum sibi lumen præstítit Ciceronis Dialogus, qui Hortensius inscribitur, quem attente perlegit an. ætatis 19. Aristotelis Categorias, omnesque liberalium artium libros vigesimo ætatis anno συνδιδαχως intellexit, nullo scilicet ad scientias addiscendas usus præceptore. Rheticam primùm Tagastæ, deinde Carthagine, & Romæ, tandem Mediolani docuit, ad id eō missus à Symmacho Romæ Praefecto, à quo Rhetorices professorem Mediolanenses rogaverant an. 384. Ibi à Divo Ambrosio, ejus Urbis Episcopo, an. 387. ætatis suæ 33. ad Christi Fidem à Manichæorum hæresi avocatus, & baptizatus est Paschatis tempore. Hinc in Africam rediit, & inde Romam, ubi contra Manichæos scribens duos libros composuit, quorum alter *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, alter verò *De Moribus Manichæorum* inscribitur. Post Sanctæ Matris obitum ad Ostia Tiberina die 4. Maii an. 388. in Africam reversus in Tagastæ campis una cum quibusdam amicis solitariam vitam duxit ad annos tres, primos Ecclesiæ fideles imitatus. An. 391. Hippo Regium veniens, à Valerio ejus Urbis Episcopo Presbyter, etsi invitus, ordinatus, & prædicationis ministerio (Valerius enim cum Græcus esset, Latinæ linguæ usum promptum non habebat) ab eodem addictus, commisso hoc sibi munere sic optime functus est, ut an. 395. secundum Panvinium, sive 396. ex Philippo Labbe, sive 397. ex Prospero Aquitanico in Chronico, jubente eodem Valerio, à Megalio, Calamensi Episcopo, Numidiæ Primate, Episcopus Hippoensis novo more consecratus fuerit, ut scilicet non succederet in Cathedra Episcopali, sed accederet. Commissam sibi Ecclesiæ summa æquitate, pietate, & labore rexit annis circiter 36. Infatigabilis enim cura suum gregem jugiter instituit, nutrit, correxit, expiavit; atque Manichæos, Donatistas, Pelagianos, Semipelagianos, omnesque Catholicæ Ecclesiæ hostes & scriptis confutare, & Imperatorum ad id implorato auxilio obruiere, evellere, disperdere conatus est. Quapropter hi odio, & ira perciti unum Augustinum, tamquam hostem sibi omnium maxime metuendum,

ad

ad necem exquirebant. Cum igitur magnus Ecclesiæ Doctor, & Oraculum, magnus hæretorum terror jure merito ab omnibus haberetur; Imperator Theodosius Junior legatos ad eum misit, ut ad Generale Concilium Ephesi habendum veniret: verum nuncii ipsum jam mortuum invenerunt, Vandalis Hippone Regium ad tertium mensem arcta obsidione vallantibus, anno scilicet 430. ætat. verò 76. quo tempore libris Juliani Pelagiani respondebat. Memoriæ proditum, Vandalo Hippone Regium, suæ ditionis per arma factum, flammis dedisse; sed ignem Divi Augustini corpori, ejus libris, & bibliothecæ pepercisse. Ejus cum Divo Hieronymo circa Sacrae Scripturæ quæstiones literariam contentionem; & ut Augustinus Diaconum Paulum Orosium ad Hieronymum miserit ad sanctum amicitiae fœdus obfirmandum: quanti Augustinum Pontifices, Concilia, Ecclesia, omnes fecerint, vide apud ejus Vitæ scriptores Possidum, Rivium, Possevinum, M. Godeau, &c.

Philosophus fuit eximius, Secta Platonicus, ut ex ejus scriptis, Platonica doctrina refertis, appareat: immo hujus Philosophi dogmatis quam qui maxime addictus semper extitit: unde Platonis doctrinam quam proxime ad Christianam veritatem accedere dixit lib. 7. Confess. c. 9. lib. 3. contra Academicos cap. 20. & libro de Vera Religione cap. 4. Quinimo dicere ausim, eo melius neminem Latinorum Platonicam majestatem tum sapientia, tum eloquencia exactius expressisse. Enimvero primi Ecclesiæ Patres fere omnes, ut alias etiam dictum, Platonici erant, putantes, nullam Philosophorum Sectam Catholicæ Religioni melius convenire. Inter hos etiam numeratur magnus ille Ecclesiæ Doctor Ambrosius, Archiepiscopus Mediolanensis, qui Platonicæ Philosophiae peritiam, juvenilibus annis ab ipso comparatam haud mediocriter ornabat Græcanicæ linguae, & eruditio notitia; ut in ejus vita notatur. Et Hermias Philosophus Christianus, & Autor Ecclesiasticus, qui sec. 4. floruit: cuius Opera extant in Biblioth. PP. Tom. I. edit. Græco-Lat. col. 187. & in Indice Chronol. Vide etiam Suidam v. E^{cclesiæ}.

Scripsit Augustinus plurima, quæ diligenter collecta XI. Tomis PP. Benedictini Congreg. S. Mauri exquisito ordine ediderunt. In horum I. Opera sunt ab ipso, antequam Presbyter fieret, composita; una cum Retractationibus, quæ suorum Operum censuram, & correctionem habent; & Confessionibus, quas 13. libris distinctas tradit: primis 10. libris suæ Vitæ Historiam texit: tres reliqui Reflexiones super Genesis initio habent. Cætera in hoc Tomo contenta sunt Opera Philosophica: Tractatus de Soliloquiis: Libri 3. de Libero Arbitrio: De Genesi 2. contra Manichæos: De Moribus Ecclesiæ lib. 1. De Moribus Manichæorum lib. 1. & Liber 1. de Vera Religione. Tom. II. continentur Epistolæ. Tom. III. Doctrina Christiana cum Commentariis Sacrae Scripturæ. Tom. IV. Commentaria super Psalmos. Tom. V. Sermones, & Homiliæ. Tom. VI. Tractatus Morales. Tom. VII. Libri 22. de Civitate Dei. Tom. VIII. Hæreticos quosdam Judæos etiam, & Gentiles insectatur. Tom. IX. Tractatus contra Donatistas. Tom. X. Contra Pelagianos. XI. tandem Tomo 5. Augustini Vita, ab ejusdem Operibus educta, continetur, cum Indice, &c. Ex ejus tamen operibus omnium maxime à Lud. Viv. de Trad. Discipl. I. 3. laudantur libri de Civitate Dei. Sic enim ait: *Augustinus multum habet Africitatis in contextu dictionis, non perinde in verbis, præsertim in libris de Civ. Dei, quod unum ex ejus operibus legendum censco Philologo: id enim bona ex parte in media Philologia versatur.* S. Augustini Opera Genuina, Spuria, Dubia, & Deperdita vide apud Gul. Cave in Hist. literar. Script. Eccles.

Præclara autorum testimonia, quibus ejus eruditio, Theologia, sapientia, commendantur, innumera fere sunt; ex quibus duo hic notabo, quæ

ejus Philosophiam dignis laudibus extollunt. Sixt. Senens. Biblioth. l. 4. *Vir supra omnes, qui ante eum, & post eum hucusque fuerunt, mortales, admirabili ingenii acumine præditus, omnibus liberalibus disciplinis instructus, Platonica Philosophia plenissime imbutus, Aristotelicæ doctrinæ non ignarus, &c.* Ephemer. Erudit. Gall. 15. Martii 1666. *Quia D. Augustinus omnigena eruditione præditus erat, de omnigenis etiam rebus, & pro omnibus hominum generibus scripsit. Opera ejus plurima pro Philosophis, aut Theologis tantum sunt; sed Tractatus de Civitate Dei pro illis etiam est, qui scientiam non profitentur; cumque illum insigni cuidam Dynastæ Romano nuncupaverit, eum videtur præsertim in gratiam nobilium conscripsisse, &c.* Vide Pope Blount in Censura, &c.

AURELIUS AMBROSIUS THEODOSIUS MACROBIUS

PRÆPOSITUS SACRI CUBICULI SUB IMP. THEODOSSIO, & HONORIO CIRCA FINEM SCIL. SEC. 4. FLORUIT; DE QUO HONORIFICA MENTIO EST IN LEG. I. COD. DE PRÆPOSITIS SACRI CUBICULI, LIB. XII. DE EJUS PATRIA NON BENE CONSTAT APUD AUTORES SUUM CIVEM PARMENSES FACIUNT; SED NULLO VALIDO ARGUMENTO SUFFULTI: IMÒ CONTRARIUM CONSTAT EX EJUSDEM VERBIS IN SATURNALIORUM INITIO, UBI SE LONGE À LATIO NATUM PROFITETUR, INQUIENS: *Nisi sicubi nos, sub alio ortos cælo, Latinæ linguae vena non adjuvet. Quod tamen ab hisce (si tamen quibusdam forte nonnunquam tempus, voluntasque erit ista cognoscere) petitum, impetratumque volumus, ut æqui bonique consulant, si in nostro sermone nativa Romantoris elegantia desideretur, &c.* VIR FUIT CONSULARIS, & ILLISTRIS, MAGNÆ ERUDITIONIS, & PLATONICÆ PHILOSOPHIÆ QUAM QUI MAXIME ADDICTUS.

SCRIPTIS IN SOMNİUM SCIPIONIS LIB. 2. SATURNALIORUM LIB. 7. DE QUIBUS HOC EST AUTORUM QUORUNDAM JUDICİUM; QUI NON MINUS EJUS ERUDITIONEM, QUAM PHILOSOPHIAM COMMENDANT. MARC. ZUER. BOXHORN. IN EPİST. P. 17. MACROBIUS SCRIPTOR PRÆSTANTISSIMUS; QUI VETERUM PHILOSOPHIAM, NON VANAM ILLAM, & QUAE AD SOLAM OFFENTATIONEM PERTINET, SED CORDATAM, & MASCULAM ALTISSIME PENETRAVIT. COEL. RHODIG. I. 1. C. 12. & 15. AUTOR EXCELLENTISSIMUS, & VIR RECONDITISSIMÆ SCIENTIÆ. LAURENT. VALLA: CURIOSISSIMUS IN LOQUENDO, & RECONDITISSIMÆ SCIENTIÆ. BONIFAC. LUDICRA HIST. MIBI QUIDEM IN PLATONICORUM MYSTERIIS, IN MATHEMATICIS DISCIPLINIS, IN RE POËTICA SATIS ERUDITUS, NEQUE SUO SECULO INFACUNDUS VIDETUR. LUD. VIV. DE TRAD. DISCIP. I. 3. MACROBIUS SATURNALIA MULTUM BABENT BONARUM, AC VARIARUM RERUM. ET IBIDEM LOQUENS DE GELLO, & APULEJO, AIT: MACROBIUS MELIOR EST HIS, ATQUE EXPLANATOR: HABET QUAE NON TAM VULGARI SERMONI SINT UTILIA, QUAM PHILOSOPHIÆ EXPLICANDÆ. VIDE ETIAM EUNDEM PRÆFAT. VIGILIÆ IN SOMN. SCIP. GODEAU EPISC. GALL. EJUS SATURNALIA OMNIGENA TRACTANT ARGUMENTA CRITICÆ, & ANTIQUITATUM: PERJUCUNDA, & ERUDITIONIS PLENA MISCELLA VIDETUR. ERUDIT. JUDICIA TOM. 2. PARIS. 1685.: CHRISTOPHORUS DE MILE AUTOREM HUNC SINGULARI PLATONIS STUDIO TENERI OBSERVAVIT, EUQVMQUE TIS COLLIGENDIS, QUAE AUTORES IN VIRGILII NOTAVERANT, MAXIME INCUBUISSE; EJUS SATURNALIA ERUDITA ESSE, SED STYLI NON LAUDABILIS, QUOD SECULO SCRIPSERIT, QUO LINGUA LATINA PURITAS JAM ALTERATA, VEL DEPERDITA ERAIT, UT IPSE MACROBIUS FASSETUR. DENIQUE J. VAVASSOR DEPREBENDIT, ILLUM TOTIDEM VERBIS PLUTARCHUM INNUMERIS IN LOCIS TRANSCRIPSSE, AB A. GELLO PLURIMA MUTUATUM ESSE: DE SUO TANTEN ADDIDISSE MULTA SINGULARIA, & JUCUNDA, QUAE EJUS ERUDITIONEM, & ANTIQUITATIS NOTITIAM MANIFESTANT. CARD. BONA NOTIT. AUTOR. MACROBIUS PHILOSOPHUS EXIMIUS, & CRITICUS ACUTISSIMUS. ALIOS IPSUM LAUDANTES PRÆTEREO.

NON DESUNT TAMEP, QUI IPSUM REPREBENDUNT; INTER QUOS POLITIAN. EPİST.

I. 12.

1. 12. epist. 23. ubi: *Macrobius dapibus partim emendicatis, partim suffuratis suas cœnas instruxit.* Erasmus in Ciceron. pag. 148. ipsum Æsopicam Corniculam vocans ait: *Ex aliorum pannis suos contexuit Centones.* Itaque suâ lingua non loquitur, & si quando loquitur, Græculum latine balbutire credas. Quod genus est illud ex Commentario in Somnium Scipionis secundo. Petr. Crinit. de Honesta Discipl. p. 534. Quod etiam Macrobius (ut alia complura) è penu Gellianæ eruditioñis in suas cœnas deprompsit: homo satis quidem eruditus, sed ingenio maxime ingrato, ac prope impudenti, ut qui tanto æris alieni cumulo, nusquam creditoris nomen profiteatur. M. Ant. Muret. ad Senecæ 3. de Benefic. 18. Totam hanc disputationem de servis, num dominis beneficia tribuere possint, partim ex hoc Senecæ loco, partim ex Epist. 47. partim ex Valerio consarcinatam Macrobius l. 1. Saturn. c. 2. pro sua venditavit. Sed & ex Agellio, & Plutarchi Symposiacis tam multa nullo pudore in septimum librum Saturnaliorum suorum transfusit, ut appareat, eum facitasse eandem artem, quam plerique hoc seculo facitant, qui ita humani nihil à se alienum putant, ut alienis æque utantur, ac suis. Ulysses Altrovand. de Quadruped. p. 394. Macrobius transcripsit Alexandrum Aphrodisæum, ac pene verbatim expressit. Vide etiam Claud. Verder. in Autor. Censione, &c.

SYNESIS.

DE ejus patria non bene constat apud autores. Gulielmus Cave ipsum gener Pentapolitanum cum aliis asserit; sed in qua urbe hujus Regionis Pantapoleus fuerit ortus, non affirmat. Pentapolis enim Regio Cyrenaicæ erat quinque urbibus constans, unde & illi nomen (non loquimur hīc de Pentaphili Palæstinæ, aliisque regionibus hoc nomine insignitis) quæ urbes hoc ordine sunt Berenice, Arsinoë, Ptolemais, Cyrene, & Apollonia. Suidas hæc tantum habet: Συνέσιος Ἐπίσκοπος ἐκ Πτολεμαΐδη τετταπόλεως τῆς Ἀιγύρου Οὐβαΐδη, Synesius Episcopus ex Ptolemaide Pentapoleus Thebaidis, quæ in Libya est. Philipp. Labbe de Script. Eccles. ipsum Cyrene natum asserit, dum ait: *Synesius patrem naclus Cyrenem Pentapoleus in Libya, Aegypto proxima, nominatissimam urbem, ab ineunte ætate, ut ex epist. 57. adversus Andronicum discimus, Philosophiæ operam dedit, Alexandriæ Magistra usus Hypatia, Theonis præstantissimi Mathematici filia, quæ, ut ex Socrate constat, anno demum 415. à populo primùm testis obruta est, tum membratim discepta; fuitque inter Sophistas sui temporis nominatissimus; uxorem duxit, quatuorque ex ea filios suscepit. Legatione pro patria sua functus est per triennium Constantinopoli apud Arcadium Imperatorem circa annum 400. ad quem habuit Orationem de Regno: dein anno 410. Episcopatum Cyrenes, seu Ptolemaidis patriæ suæ invitatus capessere coactus est, ordinatus à Theophilo Alexandrino Patriarcha sub Theodosio Junique, Arcadii filio. Quamdiu in sacra illa ministratione vixerit, quove anno obierit, à nemine proditum est. Certum id tamen constat, ipsum omnia fecisse, ut se Episcopatu abdicaret. Quod cum frustra tentasset, altero ab adito Episcopatu anno Concilium celebravit; ac post obitum, fratrem suum Evoxium in Episcopatu successorem habuit.*

Ingenuè quidem fateor, me haud satis intelligere, cur cit. Labbe, Morery in Lex. Hist. & in Suppl. aliquique dicant, Synesium Ptolemaidis, sive Cyrenes Episcopum fuisse, quasi una civitas, vel unus idemque esset Episcopatus: cum clarum sit, Ptolemaidem aliam à Cyrene Pentapoleus civitatem fuisse, à qua 12. millaria distat; ac Ptolemaidis Episcopatum sub Archiepiscopatu Cyrenes extitisse. Vel igitur ejus Episcopatus sedem ignorant, vel Ptolemai-

maidem cum Cyrene confundunt. Accedit, Labbe loc. cit. dixisse: *Episcopatum Cyrenes, seu Ptolemaidis patriæ suæ, &c.* cùm supra dixerit, ipsum Cyrene natum, non Ptolemaide.

Scripsit, præter dictam *Orationem de Regno*, plurima, sed mira omnia; inter quæ sunt *De Providentia lib. 2. Epistolæ 155. Dio*, sive de vitæ ipsius instituto: *Calvitii Encomium: Catastasis in Barbarorum excursionem: Catastasis in laudem Anysi: De Dono Astrolabii: Homiliæ: Hymni: De Insomniis.* Quæ omnia cum Notis edidit Dionysius Petavius an. 1622. & 1633. Notandum hic, Synesium in ipsis de Deo, Trinitate, Anima, & Dæmoniis, Platonicon more locutum esse. Hinc Joh. Maria Bralichellanus in *Decret. Sacr. Congreg Indic.* observat, *Synesium*, qui diutius antè *Philosophus Ethnicus* vivit, *Platonica quædam*, seu *Pythagorica nonnunquam suis Hymnis inseruisse*, præsertim cùm de Trinitate loquitur, vix poëticis numeris potuisse retinere exactam illam loquendi rationem, quam *Theologia in Mysterio Sacrae Triadis servandam præscribit*. Notatur etiam à quibusdam, reperiri in Scriptis ejus quasdam Ethnicas opiniones, quales sunt opinio de Venere, quodd ejus indigatione mulieres Libycæ grandes habeant mammillas, ac pectora inconvenienter composita, itaut infantes non per alas, sed per humeros lac sugant, mammæ in humeros rejectæ; ut in epist. 4. Opinio de Fortuna, & Fama, quodd Deæ sint, ut in epist. 43. & 44.

Uno tamen omnium ore ejus sanctitas, & doctrina commendatur. Phot. in Biblioth. cod. 26. Lectæ sunt *Episcopi Cyrenes*, cui *Synesio nomen*, de *Providentia, & de Regno*, aliisque nonnullis *Orationes*. *Stylus illi sublimis quidem & grandis*, sed qui ad popularem simul dictionem aliquantulum inclinet. Lectæ sunt & ejusdem *Epistolæ variae*, *venustate*, ac *dulcedine fluentes*, cum *sententiarum robore*, ac *densitate*. Evagrius 1.1. Eccles. Hist. c. 15. Hic igitur *Synesius* tum *reliquis disciplinis excultus fuit*, tum in *Philosophia adeo excelluit*, ut admirationi esset etiam Christianis, his scilicet qui neque odio, neque gratia adducti, de rebus judicare solent. Qualis enim, ac quantus extiterit, abunde testantur tum *Epistolæ post suscepitam Sacerdotii dignitatem eleganter & docte ab eo conscriptæ*; tum *Oratio*, quam dixit eidem Imperatori Theodosio; tum *quicumque ejus libri admodum utiles circumferuntur*. Ell. du Pin. Nova Biblioth. Aut. Eccles. Tom. 3. *Synesii Stylus*, *Pbotii quidem judicio*, *grandis*, & *sublimis est*, sed *Poësin aliquatenus redolet*. In narrationibus præsertim, & descriptionibus excellit. *Prolixis præfationibus*, *crebrisque digressionibus variat argumenta*, quæ *pertractat*. *Delectabilia reddit eadem præclaris historiæ, fabulæque locis, insignioribus profanorum Poëtarum dictis*. Nibil asperi, vel tædiosi habet ejus *Philosophia*. Ea est ejus *industria*, ut hanc *gratam*, & *jucundam reddit*. Ad solam *delectationem attendere videtur*, cùm *præcipua sapientiæ capita tradit*. Ad summarum veritatum notitiam *lectorem sensim deducit*, dum festivas tantum narrationes se legere putat. In prima ejus *Epistola duorum generum Opera illum scripsisse observat*; alia esse circa *subtilissimam Philosophiam*; alia vero Rhetoricas Dissertationes esse: sed facile cognosci posse, utraque ejusdem *ingenii fætus esse*, modò res serias, modò facetas meditantis. Et sane idem character ubique conspicitur. *Opera ejus Philosophica Rhetoricas, & Poëticis figuris sunt exornata*: *Eloquentiæ vero Diatribæ sententiis Philosophicis roborantur*. In *Platonicis scriptis versatissimus erat*, & ex illo fonte hauserat quicquid maximi, & celsissimi habet antiqua *Philosophia* circa Summi Entis, & Moralium Principiorum cognitionem. *Pauca de Religione nostra scripsit*, & multum abest, quin in ea & que doctus esset, ac in *Platonis Philosophia*. Liquerat tamen ex ejus *Epistolis*, cum fuisse sapien-

sapientissimum, prudentissimum, & optimum Episcopum, &c. Phrasis ejus tanquam Attica laudatur à Gesnero; & à Quenstedt dicitur *Synesius vir admirandæ sanctitatis, & doctrinæ; eloquentiæ tamen studiis clarior, quam rerum Ecclesiasticarum notitia.* Lud. Viv. de Trad. Discipl. p. 540. *Synesius elaboratus, & translationibus paulo obscurioribus frequens.* Balth. Bonifac. Ludicr. Hist. p. 603. *Synesius pius, & doctus, argutus interdum, stylo ameno, & que prosa, versuque bonus.* Sed omnium maxime ejus habet dignas laudes Lucas Holsten. Dissertatione de Synesio, & de Fuga Episcopatus, dum ait: *Synesius Philosophorum omnium, uno Platone excepto, eloquentissimus - - - Neque enim mihi animus est eloquentissimi juxta, ac sapientissimi Philosophi laudes pertexere, aut orationis accuratissimæ virtutes persequi, aut reconditam philosophandi rationem in lucem protrahere.* Bellarminus etiam de Scriptor. Eccles. Vir fuit admirandæ sanctitatis, & doctrinæ. Scripsit plurimas, & elegantissimas Epistolas. Scaligerana 2. *Egregia in Synesi Epistolis occurruunt.* Greg. Gyraldus Synesii Epistolas admirandas vocat. Denique ab Hofmanno vir pietate, & eruditione inter primos sui ævi nominatur. Vide etiam Baron. Godeau. Possevin. Niceph. &c. & Hist. hanc p. 101.

ÆNEAS GAZA

PHilosophus Platonicus circa finem sec. 5. sub Zenone Imperatore floruit, ut ex ejusdem scriptis educitur, in quibus de Africæ Martyribus à se visis sub Hunnerico Vandalorum Rege loquitur; qui Rex obiisse fertur an. 485. *Æneas Christi Fidem amplexus, Dialogum de Animæ Immortalitate, & corporum Resurrectione, Theophrastum appellatum, composuit: quem Ambrosius Abbas Camaldulensis latinum fecit, & Bibliothecæ PP. addictum habemus.* Extat etiam Lipsiæ editus an. 1655. à Joh. Baver cum Notis Gasp. Barthii. Vide Bellarm. de Scriptor. Eccles. Labbe Dissertat. Hist. &c.

HIEROCLES

Secta Platonicus, Bithyniæ primū ex Vicario Præses, deinde Alexandriæ Præfectorus Christianorum hostis acerrimus, in ipsos mirè sæviit, Persecutionis sub Diocletiano ferventis autor existens, εργοδιώκτης, ejus scilicet Persecutionis monitor, & exactor dictus est. *Quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecurus est. Composuit enim libellos duos non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, ut humane, ac benigne consulere putaretur.* In quibus ita falsitatem Scripturæ Sacrae arguere conatus est, tanquam sibi esset tota contraria: nam quædam capita, quæ repugnare sibi videbantur, exposuit; adeò multa, adeò intima enumerans, ut aliquando, ex eadem disciplina fuisse videatur. Lactantii verba sunt lib. 5. c. 2. Quos libros Nicomediae degens composuit, & Λέγεται Φιλαλήθας, *Sermones Veritatis amatores* appellavit: quo in opere inter alia Apollonium Tyaneum Christo Domino comparavit, & vel paria, vel majora etiam fecisse contendit. Blasphemias tamen ejus, & insanias egregie confutavit Eusebius, & Lactantius; quem Institutionum libros contra Porphyrium, & Hieroclem Philosophos scripsisse putat Baronius ad an. Chr. 302. quem vide.

Sed an unus, idemque Hierocles fuerit, qui libros Philalethes composuit, cum eo, qui de Apollonio scripsit, varia autorum mens est. Eundem existimat videtur Guil. Cave in Chartophyl. Eccles. atque alii, ut ex modò diligis. Diversum faciunt Morery in Lex. Hist. ubi diversis articulis de unoquoque

que

que agit ; aitque, eum , qui de Apollonio scripsit , Philosophum ex Areopagi judicibus fuisse : & Baronius , qui modò dicti meminit ad an. Chr. 302. ejus verò , qui Apollonium cum Christo comparavit , ad an. Chr. 68.. atque contra hunc ab Eusebio scriptum , afferit . Alii tandem confundunt ex eo , quod ambo contra Christianos scripserint , & Philosophi fuerint.

Alius tamen ab his omnino fuit Hierocles ille, qui sec. 5. vixit , & Platonicus etiam fuit , celebri fama Alexandriæ docens . Scripsit hic libros 7. de *Providentia* , & *Fato* ; quorum veluti excerpta Phothius nobis asservavit . In iis Platonis , & Aristotelis concordantiam ostendit ; & supposita Metempsychosi , omnes difficultates de *Providentia* , & *Fato*, cum Libero Arbitrio convenire valentibus , resolvi posse contendit . Afferit etiam ibidem , Platonem Mundum ex nihilo creatum credidisse . De hoc ita Damascius apud Photium : *Sciendum* , quod Hierocles , qui Scholam Alexandrinam sublimitate , & magnitudine animi ornavit , præter magnificentiam venerandam , & constantiam , etiam ingenii ubertate admodum affluebat ; & cùm linguae præstantia , pulcherrimorumque nominum , & verborum facilitate , ac copia excelleret , omnes ubique auditores in sui admirationem rapiebat , tam orationis venustate , quam scientiarum varietate , cum Platone semper contendens . Vide Phot. Biblioth. cod. 214. & 242.

Alius etiam memoratur Hierocles , qui in Aurea Carmina Pythagoræ Commentarium scripsit . Hic Pythagoræ etiam vitam . ut notat Cozzandus l. 5. c. 1. memorie tradidit . De eo ita Joh. Pearson in Prolegom. ad Hieroclem: *Inter Opera verò Philosophica, sive Judex, sive alius fuerit, primum iuge merito locum sibi vendicat Υπόμνημα εἰς τὰ χρυσᾶ Πυθαγόρεα Επί*, Commentarius in Aurea Pythagoræ Carmina , opus nunquam satis laudatum . Neque enim Carmina ista tantum interpretari , aut Grammaticorum instar Scholia confidere in animo habuit , sed omnia Pythagoricæ disciplinæ lineamenta brevi quasi tabula depingere . Cùm autem hic Hieroclis in Aurea Pythagoræ Carmina Commentarius junctim cum libris de *Providentia* , & *Fato* &c. Hieroclis Philosophi Alexandrini , de quo modo dictum , Græc. Lat. extet , Londini an. 1654. editus , hinc factum puto , ut unus idemque quibusdam visus sit . In magna tamen hac confusione eorum , qui Hieroclis nomen habuere , & scripsere , vide Gesnerum , & Vossium lib. 3. & 4. de Hist. Græc. &c. Sed omnium accuratissime Mollerus in Homonymoscopia pag. 312. & ex eo Ionsius de Scriptor. Hist. Philos. ejusque Scholiastes pag. 99.

CHOSROES PERSARVM REX

QUAMQUAM barbarus , Philosophiam , disciplinasque omnes Græcorum ita tenebat , ut par summis Philosophis esset . Platonis , & Aristotelis Philosophiam optime calluit : sed Platonis dogmatibus adeò ferunt imbutum , ut ne Timæus quidem , vel Phædon ipse , vel Gorgias , vel Dialogorum autor quispiam , ut Parmenides , illum præterierit . In Persiam ad eum visendum se contulere Damascius Syrus , Simpliciusque è Cilicia , & Eleunius Phryx , Priscianusque Lydus , Hermias præterea , & Diogenes ex Phœnicia , & Isidorus Gazæus , qui omnes Justiniani temporibus omnium erant Philosophantium principes . Cozzandus de Magisterio Antiqu. Philos. lib. 1. c. 9. Miror sane , Cozzandum , qui de plagii criminis alias sæpe arguit , se jugiter plagiarum ostendere , cùm rarius , unde sua dicta hauserit , indigitet . Chosroës hic nonnisi Primus hujus nominis Persarum Rex , qui Magni etiam nomine insigniebatur , & Justiniani coævus fuit , esse potuit ; seculo enim 6. ambo

ambo floruerunt. Omnes tamen ejus Vitæ scriptores de ejus tantum militia, ac triumphis, quos de Romanis sæpius reportavit; atque ut ab ipsis tandem superatus, ex tristitia obiit, loquuntur. Unum tantum Suidam inveni, qui de ejusdem sapientia tam alte scripsit, ex quo modo dicta Cozzandus retulisse videtur.

T H E O D A T U S GOTHORUM REX

THeodahades etiam dictus, Theodorici Regis ex sorore nepos fuit. Hic ab Amalasuntha Regina, suo filio Athalarico orbata, in thronum hac conditione evectus, ut ipsa regnaret; ingrato, crudelique animo eam prius extorrem fecit, deinde jussit jugulari. Cujus innocentis sanguinem vindicavit Justinianus Imperator, qui per Bellisarium, & Mundum Regno eum pepluit: ac tandem à Vitigio, magno suæ militiæ duce, à Gothis Regis nomine insignito, imperfectus cum filio suo Theodegisilo est, dum Româ Ravennam peteret. Sic igitur proditor Theodatus à proditore Vitigio juste peremptus, debitas ingrati animi pœnas luit. Doctus fuisse traditur, & Historiam scripsisse. Vide Procopium lib. I. de Bello Goth. Marcellinum in Chron. Cassiodorum lib. IO. Epist. 3. Possevinum in Appar. &c.

De Theodato ita Cozzandus loc. cit. *Theodatus Ostrogothorum Rex, qui literis Græcis, Latinisque liberaliter eruditus, secundam amplexus est Platonicas, cui multam operam impendit, in eaque maxime claruit, ut Leonardus Aretinus testatur lib. I. de Bello Italico contra Gotbos, & Jobannes Lelandus.* Cozzandi igitur, & eorum, quos adduxit, sententiam securus, Theodato inter Platonicos locum dedi.

G E O R G I U S G E M I S T V S.

A Seculo 6. usque ad 15. Platonis Philosophia ferme sepulta delituit: donec hæc præclarum Platonicæ Philosophiæ lumen eluxit *Georgius Gemistus*, cognomento *Pletho* dictus, patria Constantinopolitanus, qui sec. 15. Florentiam veniens, in Aula Magni Ducis, literarum ac literatorum patroni, Cosmi Medices magno in honore vixit, à cunctis sui ævi doctissimis viris eximius Philosophus & creditus, & habitus. Concilio Florentiæ sub Eugenio IV. an. 1438. celebrato adfuit, in quo singularis doctrinæ virum omnes ipsum admirati sunt. Fertur ad annum centesimum, & ultra vixisse; duos post se relinquens filios, Demetrium, & Andronicum.

Scripsit librum *De Differentia inter Aristotelem, & Platonem*; in quo ostendit, principatum semper inter hos duos Philosophos Platonem obtinuisse: *Tractatum de Interpretatione: Commentarium in Oracula Magica Zoroastris*: atque alios Tractatus, potissimum Historicos. De Gemisto ita Cozzandus loc. cit. *Ex Academia quidem Georgius Gemistus non solum Historicus, sed Philosophus & Mathematicus, cognomento Pletho, patria Constantinopolitanus, quem quasi Platonem alterum de Mysteriis Platonicis differentem frequenter audivit Cosmus Medices Florentiæ, & ante in Græcia Bessario Cardinalis Patriarcha Nicæus, cuius ad illum plurimæ extant epistolæ &c.* Vide Gesner. Biblioth. Leon. Allat. Diacr. de Georg. pag. 283. Voss. de Philos. Sect. c. 16. §. 6. de Hist. Græc. lib. 2. c. 30. &c.

CUI patria Trapezus, urbs Cappadociæ, in Asiæ Minoris confinio, pri-
mum Monachus S. Basili, deinde Cardinalis, Archiepiscopus Nicæus,
& Patriarcha Constantinopolitanus, Georgii Gemisti, modò dicti, discipulus
fuit, sub quo in scientiis omnibus, potissimum verò in Platonica Philosophia
multum profecit. Per Imperatorem Ioh. Palæologum ut Ecclesia Græca Lat-
inæ jungeretur, sategit plurimum. Propterea Florentiam se contulit, ubi Con-
cilio sub Eugenio IV. celebrato interfuit, orationem habuit, & Orthodoxæ
doctrinæ subscriptis; unde Cardinalis insignia promeruit. Imò parum abfuit,
quin etiam in Summum Pontificem eligeretur. Variis magni momenti legatio-
nibus sub Summis Pontificibus laudabiliter functus est: ex quarum ultima ad
Ducem Burgundiæ, & Ludovicum XI. Gallorum Regem, non ex voto confe-
cta, reversus, Ravennæ mortuus est 18. Novembris an. 1472. ætatis verò 77.
cujus corpus inde Romam translatum in Basilicam S. Petri eo sepulcro condi-
tum est, quod sibi vivens extruxerat, & Epigraphem fecerat an. 1466. quam
vide apud Paulum Jovium in Elog. c. 24.

Magnus plane vir fuit, Purpuræ decus, Græciæ ornamentum, in omni
scientiarum genere eruditus, literatorum amicus, & protector, quos domi suæ
semper coluit, & familiares habuit; inter quos præcipui fuere Argyrophilus,
Theodorus Gaza, Gemistus Plethon suus præceptor, Philelphus, Blondus,
Poggius, Laurentius Valla, Andronicus, Platina, Domitius, atque alii sui ævi
literati; qui omnes Bessarionis domum frequentabant, potissimum ob celeberrimi-
mam suam illam Bibliothecam, quam triginta nummis aureis emisse fertur:
quam deinde Senatui Veneto donavit, qui etiamnum illam summa cura custodit.
Nil prætermisit, ut Platonicam Philosophiam, cui deditissimus erat, omni-
bus redderet commendabilem. Unde cum Georgii Tapezuntii Opus perlege-
set, in gratiam Aristotelis contra Platonem ab eo confectum; statim Apolo-
giam contra Calumpniatorem inscriptam composuit, qua Platonem Philosopho-
rum Principem probaret. Plura adhuc scripsit volumina ad Philosophiam, &
Theologiam spectantia: *Orationes* etiam, & *Epistolas*; quæ omnia separatim
edita habemus. Bibliothecæ PP. opus illud Bessarionis insertum legitimus, cui
titulus: *Liber de Sacramento Eucaristiæ; & quibus verbis Corpus Christi con-
ficiatur*. Vide Trithem. & Bellarm. de Script. Eccles. Auberi Hist. des Card.
Possevin. Spond. le Mire &c.

M A R C U S M U S U R U S

Cretensis, vir utriusque linguae doctissimus, & propter eruditionem suam
à Leone X. & Alberto Pio, Carporum Principe, & Lascare Romam
accitus, quem, præter alia, *Encomium in Platonem* Græco elegi carmine
doctissimo paxisse, Gyraldus testatur lib. de Poëtis sui temporis p. 62. Extat
id Poëma, & in limine Operum Platonis legitur, commendatione publica
cum antiquis elegantia comparandum judicio P. Jovii in M. Musuri elogio.
Platonicis eum adnumerat Jonsius Hist. Phil. I. 3. c. 21. A Leone X. Archiepi-
scopus Raguseus creatus, certa spe Purpuræ tenebatur: qua frustratus ex mæ-
iore hydropicus mox obiit. Jonsius l.c. memorat MICHAELM APOSTOLICUM,
qui primus eo temporis tractu de Aristotelis, & Platonis discrepantia scripsit.

JOHANNES WESSELUS

Groningæ in Germania natus an. 1419. patris, matrisque jacturam passus, à nobili quadam femina una cum proprio filio educatus, & in scientiis, Philosophia potissimum instructus, ipsam mox docuit. Perspicacis, præclarique sui ingenii plurima ubique signa dedit. Licet in Peripateticis, Scholasticis, primum institutus; ab his tamen deinde ad Platonem se convertit, cuius Philosophiae totum se devovit: unde & à Scholasticis præceptoribus odio habitus est. De eo sic Hornius Hist. Philos. lib. 6. c. 6. *Wesselus Gansfort, Groningenensis parem circa ea tempora non habuit. Ea enim omnium literarum, ac disciplinarum cognitione erat præditus, ut communī nomine diceretur Lux mundi. Peritus erat trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ. Ad Græcam descendam in ipsam Græcam profectus est. Cumque A. C. 1477. Elektor Palatinus Philippus instauraret Heidelbergensem Academiam, eò ad Professionem Theologicam vocatus est. Sed cum Doctoratum suscipere non posset, propterea quod osor Monastici ordinis esset, relicta Professione Theologica, Philosophicam suscepit. Profitebatur autem Philosophiam Platonicam, quam Christianismo utiliorem, & convenientiorem existimabat. In Morery tamen Suppl. notatur verbo *Wesselus*, ipsum post varias Germaniæ urbium Academias peragratas, Lutetiam Parisiorum venisse: ubi ferventissimis disputationibus invicem rixantes Scholasticos Reales, Formales, & Nominales inventiens, in id totus incubuit, ut Formalium sectæ principes Realibus adsociaret. Ipsemet tamen mox Formalium sectam secutus est: sed cum ipsam rationi minus consonam advertisset, Nominalibus se addixit (simulate vero, credidimus, nam Platonis admirator erat) quorum doctrina novitate magis, quam veritate tum placebat. Parisiis P. Francisci della Rovere, Fratrum Minorum Ministri Generalis, familiaritatem nactus est. Hoc deinde in Pontificem Maximum, sub Sixti IV. nomine, electo, & magnas ei dignitates offerente, nihil præter unum Sacrorum Bibliorum Codicem Hebræum, & Græcum voluit; quo accepto, Roma in patriam migravit: ubi fama, & doctrina omnibus carus obiit die 4. Octobris 1489. Sunt qui ipsum in Orthodoxa Fide mortuum afferunt. Alii vero contra ab ea in multis aberrasse affirmant, eumque Lutheri Præcursorum appellant. Ex ejus scriptis quædam interciderunt, quædam extant edita a. 1614. Vide Vitas Professorum Groningensium.*

MARSILIUS FICINUS

Ingens Florentiæ decus, ubi natus est an. 1433. munere Ecclesiasticus, Platonicam Philosophiam omnium maxime coluit, instauravit, propugnavit. Ejus vitam scripserunt Dominicus Melisius, & Melchior Adamus: de qua pauca hic ex aliis adnotabimus. Boissard. in Icon: Græcæ, Latinæque linguae peritissimus: homo ingenii acuti, & vigilantis: unicè adamatus à Cosmo Florentinorum Principe propter exquisitam scientiarum omnium, qua pollebat, cognitionem. Fuerat enim Marsilius cum Angelo Politiano bonarum literarum studiis excultus opera, & studio Laurentii Medices, qui & ipse doctus doctorum omnium Mecenras vocatus est, tantaque autoritate, moderatione, & prudentia Remp. gubernavit Florentinorum, ut Pater Patriæ dici jure mereatur. Post cujus mortem non minore apud Cosmum gratia valuit, & ab eo divitiis, & honoribus ditatus, ocio literario vacans, Principis bene meriti suos Latinos fecit Jamblicbum, Synesum, & Psellum, Platonicos autores, ipsumque totum Platonem. Scripsit & alia insignia Opuscula, quæ à doctis cum singulari-

gulari delectatione, & fructu leguntur. Is. Bullart. in Acad. Scientiarum: *Ejus Opera satis evincunt, virum illum laboriosum ad compositionem non minus idoneum fuisse, quam ad versionem; nec propriis bonis minus opulentum, quam Antiquitatis spoliis.* Quando studii contentio ad animi relaxationem aliquam quærendam illum adigebat, ejus oblectamentum erat cum honesto, & jucundo sodalitio dulce vinum compotare. Tam brevis erat corporis ejus statura, ut ad virorum solitæ magnitudinis lumbos vix pertingeret: sed magnus erat illi amans, & constans, ad lætitiam, quam ad mœorem propensior. Sollicite vitabat quicquid valetudini suæ noxiū esse poterat. Imò regiminis hujus aliis præcepta tradere voluit libro suo *De Triplici Vita*. Septuagesimum tamen annum non excessit, febrique an. 1499. abruptus est in sua Caregiana villa, quo tempore Ludovicus XII. Galliarum Rex, Alpes cum potenti exercitu supergressus, bellum, atque terrorē in Italiam inferebat. Ejus tumuli Epigraphem Angelus Politianus hanc fecit:

*Mores, Ingenium, Musas, Sophamque supremam,
Vis uno dicam nomine? Marsilius.*

Hoc ei vitio vertunt nonnulli, quod in Dissertationibus super Platonem, & Plotinum, ipsis de suo commodans, eos Christiane loqui faciat. Unde Claud. Verder. in Aut. Censione ait: *Marsilius Ficinus Platonis interpres Serrano quidem fidelior, & purior est. Sed quanquam à Platonis mente discedat rarissime, ita tamen vertit, ut Platonem esse non judices. Vides quid Plato dicere voluerit, sed quomodo dixerit non habes, &c.* Et Huet. de Clar. Interpr. *Marsilium Ficinum religiosum, & fidelem interpretem dicit Nannius, summâque curâ verbis institisse, sententiam quoque reddidisse, in indole vero defecisse. Nos aliter judicamus; nam verborum curam negligit Ficinus, sententias dilatat nonnunquam, vel contrahit: id, quod alibi saepe, maxime vero in Trismegisti interpretatione deprehendas.*

Frequentius tamen laudatur ab aliis, à quibus *Naturæ rerum peritissimus: Academicorum omnium doctissimus: Homo summi ingenii, & inexhausti laboris: Vir divinus, & sapientissimus; sapientiae, & integritatis decus. Vir peritus non vulgariter tum Sacrae Theologie, tum etiam Platonicæ Philosophie; aliisque insignioribus nominibus appellatur.* Et præsertim Vossius de Mathemat. c. 35. sect. 47. ejus Apologiam confecit, ubi ait: *Anno 1490. longe lateque difundebatur nomen Marsilii Ficini; qui Apologiâ suâ comprobat, Astrologiam, & Medicinam ad Sacerdotes pertinere. Etiam tres libros fecit de Vita, in quibus ex Astrologia divinatrice multa admiscuit superstitione. Lecto tamen Opere Pici Mirandulani adversus Astrologos, vanitatem ejus scientiae dicitur deprehendisse, ac rejecisse. Magnus plane vir erat; præsertim in Philosophia Platonica. Quare miror, summum itidem virum Ludovicum Vives, quem locutus esset de Epistolis Angeli Politiani, Hermolai Barbari, atque aliorum, subjungere deinde: Admisiuit se his Philosophaster Marsilius Ficinus, ut oloribus gavia: atque Epistolas composuit, ut de Platonicis quæstionibus disputaret dictione invenusta, & molesta. Tandem Trithem. de eo sic scripsit: Vir in secularibus literis eruditissimus, & divinarum Scripturarum non ignarus, Philosophus, & Rhetor celeberrimus, utraque lingua peritissimus, Platonicæ Theologie unicum decus, ornamentum, & corona. Scripsit ornato sermone multa præclara Opuscula, quibus excellentis ingenii fui venam posteris ostendit. Vide etiam Philip. Labbe de Script. Eccles. Paul. Jov. in Elog. Doct. Vir. Gesner. Possevin. Joh. Bapt. Crisp. de Philosophis caute legendis, &c.*

JOHANNES PICUS

Mirandulæ, & Concordiæ Princeps, ex patre Johanne-Francisco, qui paternum genus à Constantino Cæsare per Picum pronepotem, ut memoriæ à multis proditum, trahebat; & ex matre Julia ex nobili Bojardorum familia, ultimo partu ortum duxit die 24. Februarii an. 1463. Pio II. Pontifice Maximo Ecclesiam regente, & Federico III. Romani Imperii regimen moderante. Honorem tamen, quem magnum ex tam illustri, nobilique familia ortus acceperat, majorem ei contulit. Johannes-Franciscus Picus, Johannis ex fratre nepos, qui ejus vitam contexuit, quæ ejusdem Operibus præfixa habetur, narrat, ante ipsius ortum non leve prodigium apparuisse, circularem scilicet flammarum supra parientis matris adstare cubiculum, visamque mox evanuisse. Qualis verò ejus jam nati, & adulti corporis, animique forma, & indoles fuerit, ex eodem nepote adnotemus.

Forma fuit insigni, procera, & celsa statura, molli carne, venusta facie, albenti scilicet rubentique colore concinna suffusa: cæsiis, ac vigilibus oculis, flavo capillatio; dentibus candidis, & æqualibus; & uno verbo, undique pulcherrimus. Pulchrior tamen animi indoles, & penitus admiranda extitit. Et quidem ingenio fuit promto, & perspicaci, mente sublimi, memoria adeo tenacissima, ut audita semel à recitante carmina, mox eadem, & directo, & retrogrado ordine, magna omnium admiratione, recenseret. Sub matris igitur imperio ita ardenter humanitatis studia excoluit, ut brevi Orator, & Poëta magnus evaserit. Anno ætatis 14. matris jussu, quæ ipsum Ecclesiæ Sacris initiari ambibat, Bononiam ad Jus Pontificium addiscendum petivit. Quod biennio sic optime didicit, ut Summorum Pontificum Epistolas, quas Decre tales vocant, in epitomen miro studio redegerit. Hæc tamen duriora studia pertæsus, ad jucundiora se contulit; ac divinæ, humanæque Philosophiæ contemplationi totum se devovit. *Perlungatus igitur* (verba sunt Henrici Warthoni in Append. Hist. Literar. Gul. Cave) primariis Galliæ, & Italiæ Academiis, eruditissimos utriusque Philosophiæ Professores ubivis conquisivit: Philosophorum fere omnium scripta pervolvit, remque suam tam indefesso animi studio agebat, ut Theologus simul, & Philosophus omnibus numeris absolutus imberbis ab his juvenis haberetur. Quod ad molliores verò literas attinet, is sane erat, qui sermonis elegantia, facetiis, & gratia, eloquentiæ viribus, disputandi subtilitate, & diffusa linguarum scientia omnibus suis secult viris palmarum præripuit. Accurate enim linguarum Græcæ, & Latinæ notitiæ Hebream, Chaldaeam, & Arabicam adjecerat dialecto Italiæ, antea ne famâ quidem auditæ. Septennio in hac literaria peregrinatione, doctorum, doctrinarumque inquisitione, completo, Romam annos natus 24. se contulit; ubi 900. Theses, quæ omnigenas Scientias complectebantur, evulgavit, atque à se propugnandas ne dum Urbi, sed universo orbi per literas indixit: illud insuper pollicitus, se ab omnibus prorsus sumtibus liberos præstiturum eos omnes, qui ex variis mundi partibus contra se disputatum Romam venirent.

Qua de re ita Boissardus in Icon. - - - Utque erat excelsi spiritus, inge nioque ad maxima quæque evecto, ardore juvenili impulsus Romam venit, ubi Conclusiones nongentas in omni scientiarum genere disputandas proposuit; quarum quingentæ sunt in Philosophia Veterum, Mathematica, Cabala, & Magia. In quibus invictum se, & admirabilem omnibus præstítit, cùm omnibus tanto ingenii acumine, tanta facundia, tanta gratia responderit, ut de omnibus triumphum retulerit. In his tamen Thesibus propugnandis, quæ Dia lecti-

lecticam, Theologicam, Mathematicam, Magicam, (Naturalem scilicet non impiam, & superstitionis) Cabalisticamque doctrinam (hoc est, Secretam Hebræorum dogmatum receptionem) è libris Latinis, Græcis, Hebrewis, & Chaldaicis erutam continebant; mirum quanta à semidoctis, ejusque gloriæ invidis pertulerit. Quapropter Innocentius VIII. ut hominum censuræ satisfaceret, ortoque rumori occurreret, has Theses examinandas tradidit: in quibus tredecim notatæ, quæ sustineri penitus nequirent. Unde statim harum interdictio, & Pici nominis delatio facta est. Sed cùm suas Theses Picus optime per editam Apologiam, viginti tantum noctibus elaboratam, defenderit; Alexander VI. Innocentii successor harum libellum omni interdictione immunem, ac Pici nomen falso delatum decrevit. Hujus autem libelli censuræ non tam in Principem juvenem, eximie doctum, invidia, quam suarum Propositionum veri sensus ignoratio, & censorum inscitia, caussa extitit. Ad hoc verò confirmandum vel illud h̄c adnotabo, quod habet Morery in Lex. Hist. Interrogatus, ipse ait, quidam Theologus, ejus libri censor, quid hæc vox *Cabala* significaret, fertur respondisse, Cabalam fuisse hominem nequam, & hæreticum, qui contra Christum Dominum scripsit, cujus Sectatores exinde *Cabalista* dicti sunt: quod ex ejusdem Apologia se exscriptisse fatetur cit. Morery. Atque hinc etiam factum, ut quidam ejusdem notæ Theologi non comprehendorum, quomodo posset Princeps juvenis ætate tam tenera tot, ac tantas scientias sine diaboli ope sic optime callere; ipsum Magiæ accusarent. Quidam etiam Hæreticum dixerunt, ut ipsem fatetur in Apologia post initium, ubi ait: *Ex his autem, qui sapientiam, id est Theologice studium profitebantur, quidam fuere, qui conviciti forte levioribus non contenti, non jam audacem me, non temerarium, non gloriosum, sed magum, sed impium, sed novum in Christi Ecclesia Hæresiarcham prædicarent.*

Sed contrà ex ejusdem Vita habemus, ipsum post primæ juventutis florēm, quum se gloriæ cupidum, & in vetitum amorem procliviorē ostendit, Principem pium, & religiosum maxime præbuisse. Amplissimas enim facultates, præter eas, quas in librorum supellecūlem augendā impendebat, omnes ad pauperes sublevandos erogabat. Ut enim à juventutis delictis resipuit, & ad se rediit, mulierum illecebris, vanisque amoribus (quibus nobilium more, nobilissimus, pulcherrimus, ditissimus, & morum suavitatem amabilis, feminisque carus existens, totum se dederat) cunctis perpetuum vale dixit; Principatu se abdicavit; ac privatam, frugalemque vitam Florentiæ vivens, in divinas preces, corporis castigationem, eleemosynas præstandas, ac virtutum omnium exercitationem, totus incubuit. Quare oblatas sibi vel maximas Ecclesiæ dignitates repudiavit: atque amicis id indigne ferentibus respondit: *Non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ.* Illi etiam rei obnoxie studuit, ut quidquid mente, scriptisque valeret, id totum in Ecclesiæ utilitatem, Orthodoxam scilicet contra ejus hostes Fidem propugnandam, converteret. Hinc carminibus amatoriis tum Latina, tum Italiæ lingua à se in adolescentia elaboratis, igne consumptis; nonnisi ad Dei cultum, & religionem spectantia scribere statuit, & cogitare.

Ultimum tandem diem obiit, morte quidem immatura, ex subdola febre, quæ ad tredecim dies duravit, 17. Novembris an. 1494. ætatis 32. non expeditis, eodem scilicet die, quo Carolus VIII. Francorum Rex Florentiam ingressus est. Moriens insignia Christianæ pietatis signa dedit: inter quæ amor fuit in pauperes ad mortem usque servatus, quo ductus adeo fuit, ut Florentini Xenodochii pauperes sibi Hæredes ex testamento fecerit. Fertur, immaturam hanc mortem sibi à Lucio Bellancio Senensi prædictam, affirmante, ipsum ætatis annum

annum 33. non transgressurum : quod magno Florentiae, Italiæ, orbis fletu sic contigit .

Secta fuit Platonicus, imò & Platonicæ Philosophiæ propugnator acerrimus. Omnes tamen Philosophorum doctrinas, præsertim Aristotelis calluit ; unde & Aristotelicus antea fuisse traditur à nonnullis. Certum vel illud est, ipsum Peripateticam Philosophiam cum Platonica sic optime conjuxisse, ut hanc veritatem, Nullum esse quæsumum naturale, aut divinum, in quo Aristoteles, & Plato sensu, & re non convenient, licet verbis dissentiant, in una ex suis illis 900. Thesibus publice defendisset. Quod forte ex Simplicio didicerat, qui ait : Nemo profiteatur Aristotelem, qui Platonem ab Aristotele dissociet, ut diversa sentientem.

Scripta ejus sunt : *Heptaplus*, sive de Opere sex dierum Geneseos (quæ Paraphrasis est cap. 1. Geneseos de Mundi Creatione) *Conclusiones nongentæ* (quas olim Romæ disputandas exhibuit ; ut modò dictum) *Apologia* (qua suas has Conclusiones defendit contra detractores ; ut supra adnotavimus) *De Ente, & Uno*. *Oratio de Hominis dignitate*. *Regulæ 12. in spirituali pugna*. *Commentarius in Psalmum 15. De Christi Regno, & Vanitate mundi*. *Explicatio Orationis Dominicæ*. *Epistolarum lib. 3. De Astrologia Disputationum lib. 12*. Quibus libris contra Astrologos acutissimè scriptis, ad artis vindictam faciendam, respondit Lucius Bellancius, idem ille, qui immaturam mortem prædixerat ; sed dispari ingenio, ut notat Daniel-Georgius Morhofius Polyhist. tom. 2. I. 7. 16. Hoc autem Opus, licet mortis causa imperfectum, omnium tamen maximi à doctis Criticis aestimatur. *Elegiæ*. In *Platonis Convivium lib. 3.* (Italice scripti) atque alia plura, potissimum contra Hæreticos, & Judæos, quæ post mortem imperfecta invenit ejus nepos, & Vitæ scriptor. Non prætereunda silentio est *Jobannis Pici Dissertatio Platonica*, qua Hieronymi Benivenii Florentini Hymnus in Amorem explicatur, quam ex Italico sermone in Latinum versam legere est in Hist. Philof. Stanleji pag. 351. & seq. quæ Platonicæ Philosophiæ veluti epitome est. Vossius etiam de Sectis Philosophorum c. 1. ait : *Job. Picus Mirandulanus Cabalæ, sive doctrinæ de Deo, ejusque cultu, quæ altera Judæorum Philosophiæ pars erat, admirator fuit, nam gloriatur, se de ea 70. libros emisse ingenti pretio, & in ipsis invenisse religionem traditam à Mose, & Christo : item Mysterium Trinitatis, Divinitatem Christi, humanæ naturæ assumptionem, peccatum Originale, & ejus expiationem, atque alia id genus.*

Ex innumeris, pleno ore ab autoribus in ipsum congestis laudibus, paucas hic adnotasse sufficiat. Scaliger, qui eum Monstrum sine vitio appellare solebat, hæc addit *Comment. in lib. 3. Manil. Phœnix seculi sui, illustris vir Picus Mirandulanus, deliciae Musarum, atque alumnus Philosophiæ*. Et Scaligerana prima pag. 121. *Picus Mirandulanus 32. etatis anno, quo obiit, omni disciplinarum genere non modò tinctus, sed plane imbutus erat, ut Encyclopaediam disciplinarum jure sibi vendicare potuerit, longiore vita plane dignissimus Princeps*. Vossius de Mathem. cap. 63. sect. 24. Anno 1490. magnè nominis fama per Europam omnem volitabat *Jobannes Picus Mirandulanus, Doctorum Nobilissimus, Nobilium doctissimus, ac cum Picus diceretur, vere seculi sui Phœnix fuit*. Phil. Morn. *Jobannes Picus Mirandulanus Comes verè mirandus, seu profundam doctrinam, seu raram pietatem spectes*. Lud. Viv. de Trad. Discipl. l. 3. *Politiano gravior Jobannes Picus, & satis castigatus, nisi quo loco altercatur cum Theologis*. Erasm. in Ciceroniana p. 158. *Indoles Jobannis Pici Mirandulæ Comitis plane divina, ingenium ad omnia factum, &c.* Angel. Politian. in centur. I. *Miscell. c. 100. Jobannis Pici encomium terminat his*

his verbis : *Denique, ut semel complectar, nullo non præconio major.* Petrus Crinitus de Honesta Discipl. l. 2. c. 2. Factum est, ut Picum Mirandulanum nuper audirem de Philosophia doce, atque egregie differentem; ibique cum Angelus Politianus, & alii complures ejus ingenium, atque multiplicem eruditionem laudarent, ac mirabundi extollerent: *Non est, inquit Picus, ut hac in re mibi, aut ingenio meo velitis blandiri. Quin respicite potius ad labores, & vigilias nostras; atque tum facile intelligetis, gratulandum potius assiduis vigiliis, atque lucubrationibus, quam nostro ingenio plaudendum.* Et simul adspicite, inquit, supellectilem nostram, atque librorum thesauros. Ostendebat autem egregie instructam, atque copiosam Bibliothecam, librisque affatim omnigenis refertam. Et ibidem c. 12. Nuper forte cum Pico Mirandulano diem consumsi: qui cum de vita, & Philosophia permulta graviter, & copiose protulisset; illorum maxime ingenium, atque animos subinde accusabat, qui segniter admodum degenerare ocio oblitescunt. *Qua in re, ut fit, cum acrius, & severius declamaret, cœpi mox, &c.* Ubi cit. Crinitus oculos à Solone, aliisque legislatoribus infames dictos asserit, ac pœnis afflictos memorat. Disputationem habitam inter Hieronymum Savanarolam, & Picum Mirandulanum, legamus apud eundem Crinitum lib. 3. c. 2. Vide etiam Sixt. Senens. Biblioth. Sanct. l. 4. Bellarm. de Script. Eccles. Paul. Jovium in Elog. Trithem. Marsil. Ficin. Bezoald. Du Pin, &c.

JOHANNES-FRANCISCUS PICUS

G Aleotti Pici, qui modò dicti Johannis Pici frater natu major erat, filius fuit. Inter præclara, & multa ejus encomia hoc certe non ultimum, tam magni scilicet Patrui nepotem fuisse, & discipulum. Scholasticis tamen, ut vocant, studiis nimis addictus, latini sermonis puritati non valde studuit. Infelix semper in omni vita fuit: ex Principatu enim à Ludovico, fratre suo natu minore, primùm ejectus, sed deinde post fratris obitum restitutus est an. 1510. Post annos duos iterum à Gallis expulsus, sed denuò amissum Dominum recuperavit; quod & pacifice possedit usque ad annum 1533. quum à Galeotto, Ludovici modò dicti filio, peremptus crudeliter est unà cum Alberto filio. Quam mortem Crucifijo adhærens obiisse dicitur. Scripta ejus hæc memorantur: *Vita Jobannis Pici*; & *Vita Savanarolæ: De studio Divinæ, & Humanæ Philosophiæ lib. 2. De Morte Christi, & propria cogitanda lib. 3. Defensio de Uno, & Ente, &c.* Vide P. Jov. in Elog. c. 87. Bellarm. de Script. Eccl. Spond. &c.

FRANCISCUS PATRICIUS

N Atione Venetus, professione Philosophus, secta Platonicus, Græcis, Latinisque literis egregie instructus, omnigena eruditione refertus, & uno verbo, omnium sui ævi literatissimus fuit. Alphonsi II. perquam familiaris extitit. Platonis sectator magnus, Stagiritæ infectator acerrimus, Philosophiam Ferrariæ docuit annos 17. quam etiam Patavii, & Romæ professus est, ed evocatus magno stipendio à Clemente VIII. statim ac Summus Pontifex renunciatus est, qui ejusdem opera antea etiam usus fuerat. Totus autem in eo erat, ut Aristotelis Philosophiam funditus everteret. Hinc Gregorio XIV. epistolam scripsit, qua id unum magna animi contentione flagitabat, ut Peripatetica Philosophia, ejusque libri è juvenum manibus eliminarentur, Platonica statueretur. Magna tamen hæc in Aristotelem aversio ingens ei odium tum

Theo-

Theodori Angelucii Medici, in Patavino Gymnasio professoris, tum Jacobi Mazzoni, peperit: qui editis libris ipsum fortiter impugnarunt, ille quidem in Philosophicis, hic verò in Moralibus, & Poëticis. Imò in Morery Suppl. notatur, ipsum capitum damnatum Romæ fuisse an. 1597. (mendose ibi scriptum 1527.) Quod apud alios non legitur. Konig. enim in Biblioth. tantùm ait, ipsum Romæ deceisse an. 1597. æt. 67. Bælius etiam in Lex. voce *Patrice*, eum mortuum, non necatum afferit an. 1597. Ubi notat quoque, hunc quandoque confundi cum Francisco Patricio Siennensi, qui eodem seculo clarus fuit, & *De Rege*, & *Regis institutione* libros condidit. Apud alios similiter mortuus tantùm legitur, non occisus. Quæ autem in Morery Suppl. leguntur, ex Jano Nicio Erythræo in Pinacotheca I. pag. 204. & 205. & Baillet in Judiciis Literat. de Poëtis Recentioribus, de prompta notantur.

Ut autem voti compos fieret, Stagiritæ Philosophiam examinandam suscepit libro illo in 4. Tomos diviso, quem *Discussiones Peripateticas* inscripsit; de quo Launojus in libro de Varia Aristotelis Fortuna. In primo Discussionum tomo de Aristotelis vita, moribus, libris, auditoribus, sectatoribus, expositoribus, interpretibus, sectis, philosophandi ratione, libris 13. differit. Quibus in libris potissimum ostendit, vel integros libros Aristoteli hactenus falsò fuisse adscriptos, vel pleraque aliis Philosophis erepta. Tomus secundus Aristotelis cum Platone, aliisque veteribus Philosophis à multis promissam, à nemine editam, in omni Philosophiæ genere concordiam, libris 8. continet. Tomus tertius Aristotelis cum Platone, aliisque veteribus, à nemine promissam, vel editam discordiam, libris 7. persequitur. Tomus quartus rigidissimam Aristotelis dogmatum censuram philosophicam libris 10. instituit. Cùm autem Aristotelis Philosophiam multis argumentis confutasset, vel saltem confutare conatus esset; suam *De Universo Novam Philosophiam ad mentem Platonis*, libris 50. comprehensam, Ferrariæ edidit, ac Gregorio XIV. ejusque successoribus nuncupavit. In hujus Operis Præfatione laudes librorum Platonis, & elogia in eum à primis Ecclesiæ PP. congesta enarrat, à S. Dionysio scilicet, S. Justino, S. Clem. Alexandr. Origene, S. Cyrillo, S. Basilio, Eusebio, Theodoreto, Arnobio, Lactantio, S. Augustino, S. Ambrosio, &c. Imò & rationibus, à scriptis Aristotelis, & Platonis excerptis, ostendere contendit, Philosophiam primi Catholicæ Fidei in multis opponi; contra verò secundi Philosophiam ipsi omnium maxime consonare. Qua de re vide Morery Suppl. voce *Platon*, & ipsum Patricium in discussionibus, in *Philosophia*, & in Aristotele Exoterico. Thuanus tamen ad an. 1597. notat, Patricium, paulò ante mortem, Novam hanc de Universo Philosophiam, censurâ notatam, retractasse. Huic etiam operi *Oracula Zoroastris* cum auctario quodam sententiarum ex antiquis autoribus collecta præmisit. De quibus ita celeberrimus Joh. Clericus in Notis ad *Oracula Chaldaica* apud saepius laudatum Stanlejum: Verū à Francisco Patricio multum aucta fuere ex Proclo, Hermia, Simplicio, Damascio, Synesio, Olympiodoro, Nicephoro, & Arnobio, adeout excreverint, prout numerat, ad 320. versus. Ea præterea, majoris perspicuitatis caussa, ad certa capita redacta, & latinitate donata emisit an. 1593. Et post pauca: Patricius sane non exiguo labore hæc collegit, sed modorum in versibus minorem rationem habuit, imò & interdum verba ipsa negligentius exscripsit. Nec ullacerca via est, qua, quæ omisit, suppleri queant, &c. Hujus autem Operis titulus est: *Oracula Zoroastris*, *Hermetis Trismegisti*, & aliorum ex scriptis Platonicorum collecta Graece & Latine, præfixa Dissertatione Historica. Quod etiam Ferrariæ edidit an. 1591. Ejusdem notæ est ejus *Aristoteles Exotericus*, in quo Stagiritam nimis etiam maledictis insectatur.

Scripsit præterea vulgari sermone *Historiæ Poëticæ libros decem*, in quibus Poëtices historiam magis, quam præcepta tradere sat habuit. Proprii autem operum tituli sunt: *Della Poetica Decade Istoriale*: *Della Poetica Decade disputata*: *Paralleli Militari*: *Dialoghi dell' Arte Storica*: *Risposta à due opposizioni del Mazzoni*: *Difesa dalle cento accuse del Mazzoni*: *Nova Rhetorica*: *Nova Geometria*, &c. Et præter hæc Miscellanea multa in lucem edita, atque alia, quæ MSS. penes alios servantur inedita. Præfertim verò *Commentarius in Homerum*; quem magno multorum annorum labore confecit, sed non edidit.

De Patricio, ejusque scriptis ita autores. Janus Nicius Erythræus Pinacothæcæ pag. 203. Franciscus Patricius Venetus, non bujus modò, sed longe superioris ævi Italorum fere omnium multò doctissimus - - - nunquam literarum studia intermisit, & egregia multa composuit, quæ summis literatorum omnium laudibus efferuntur - - - Multa bujus sunt præclare, ac prope divinitus scripta, quæ longum esset omnia enumerare. Sed inter omnia ejus præclarissima opera maxime placet eruditis tractatus ille, cui titulus *Paralleli Militares*, in quibus veterum Imperatorum militaris disciplina cum ea comparatur, atque confertur, quæ nostris nunc viget in moribus; qui liber, &c. De eodem opere sic bene Scaliger epist. 119. ad Isaac. Casaub. Franciscus solus mihi videtur deditum ad fontes intendisse. Quem ad verbum alii, qui studium tractarunt, cùm sequantur, tamen ejus nomen ne semel quidem memorarunt. Teissier Elog. Erudit. Viror. Gall. Patricius quantumvis doctus fuerit, & licet ejus scripta immortalem famam ei comparassent; Tassi tamen gloriam invidebat: in bujus enim Hierosolymam severam criticam exercuit libro Italico, cui titulus: *Judicium Francisci Patricii in defensionem Ariostii*, &c. Ubi etiam Patricii Dialogos de Historia summe laudat. Vide etiam Joh. Jonsum de Scriptor. Hist. Philos. Le Mire de Script. sec. 16. Laur. Crassum in Elog. Literat. Lambecium Prodrom. Hist. Literat. &c.

SEBASTIANUS ECHINUS

SIve Riccius, nobili genere natus, & multis Reip. dignitatibus ornatus, inter humanioribus literis eruditos, quam inter Philosophos numerandus potius esset: sed quia Timæum Platonis Italice reddidit, Aristotelis Ethicam illustravit, atque alia Philosophica Opuscula composuit; Philosophis ipsum adnumerare jus esto. Mortuus est an. 1585. ætatis 55. sapientis nomen ante, & post mortem adeptus. Scripsit, præter dicta, Italico sermone *Trattato dell'Istrumento, e via inventrice degli Antichi*. *Discorso sopra le Medaglie degli Antichi, con la dichiarazione delle Monete*. *Del Governo Civile*. *Le sei giornate. Esposizione sopra le tre Sorelle del Petrarcha*. Vide Thuan. Hist.

C A P U T IV.

De Philosophis Cynicis.

Quoniam Cynici ob impudentiam, & superbiam omnibus invisi erant, ut sæpius dictum; ideo nulli magni nominis Philosophi huic sectæ se mancipabant. Cùm igitur pauci illi, quorum memoria ad nos pervenit, haud

haud illustres habeantur, ac de iis vix pauca scripta inveniantur; propterea eos sic breviter percurremus.

CARNEADES non obscuri nominis Cynicus fuit, ac sub Domitiano maxime floruit. Ejus meminit in Proœmio Vitarum Philosophorum, ac Sophistarum Eunapius. Verba ejus sunt: Ea tempestate (videlicet qua Apollonius Tyaneus) fuit Carneades non obscuri nominis inter Cynicos, si modò haberet ratio ulla Sectæ Cynicæ debeat: inter quos erant Musonius, Demetrius, Menippus, aliquis nonnulli: at horum fama illustrior. Cozzandus de Magister. Antiqu. Philos. lib. 3. c. 2.

HORUS Ægyptius Philosophus Cynicus fuit. Memoratur Macrobius lib. 1. Saturnal. Quem gravem, & ornatum virum Eustathius apud eundem Macrobius loc. cit. appellat. Vixit coævus Servii Grammatici, Virgilii explanatoris sub Adriano Principe. Cozzand. ib. Hunc autem ex pugile Philosophum factum, corpore, & animo præstantem, sic descriptis Macrobius loc. cit. Quos Horus ingredientes commodum consecutus comitabatur, vir corpore, atque animo juxta validus: qui post inter pugiles palmas ad Philosophiæ studia migravit: sectamque Antisthenis, & Cratetis, atque ipsius Diogenis secutus, inter Cynicos non incelebris habebatur. Notandum hīc, HORUM alterum, hoc antiquiorem fuisse, Assyriæ Regem, secundum quosdam, ac magnum Philosophum, qui anni tempora, dies, & horas distinxit; à quo etiam Horas, diætas volunt. Quem eundem quidam faciunt cum HORO Isidis filio, & ab Ægyptiis sub Solis nomine adorato.

PEREGRINUS, cognomento Proteus, Philosophus Cynicus, patria Parianus ex Ponto, temporibus Trajani vivens (ita ex Vincentio Obsopœo, Luciani interprete; sed uno ore sere omnes autores, non Trajani, sed utriusque Antonini ætate eum vixisse, affirmant) æqualis Epicteto, Dioni, Musonio, &c. rogo (ut notat præ cæteris Euseb. in Chron. & Lucianus in Epist. de Morte Peregrini tomo 4. suorum Operum contenta) quem ex lignis componuerat, incenso semet superjecit; Brachmanas hac in re imitatus; idquæ dum Pisæ (urbem intellige non Hetruriæ, sed Peloponnesi, ubi Olympici ludi fiebant; unde & Olympiæ mortuus ab aliis dicitur) degeret. Christianus vel fuit, vel esse potius simulavit: scandalose enim vixit, si Luciano credimus, & vanitatis spiritu ductus se ultro cremavit. Cynicus ille, qui Peregrinum summe laudat loc. cit. apud Lucianum, ait, ipsum in Syria vincis colligatum fuisse: in patria quinque millia talentorum sponte reliquisse, Roma ejectum fuisse, & alia multa pro virtute pertulisse. Vide Agellium, Tertullianum, Athenagoram, & Ammianum Marcellinum: quorum aliqui eum laudant, aliqui verò improbant. Laudat Agellius lib. 12. c. 11. ubi: Philosophum nomine Peregrinum, cui postea cognomenum Proteus factum est, virum gravem, atque constantem vidimus, cum Atbenis essemus, diversantem in quodam tugurio extra Urbem; quumqne ad eum frequenter ventitaremus, multa herclè dicere eum utiliter, & honeste audivimus: in quibus id fuit, quod præcipuum auditum meminimus. Virum quidem sapientem non peccatum esse, dicebat, etiam si peccasse eum Dii, atque homines ignoraturi forent. Non enim pœnae, aut infamiae metu non esse peccandum, sed justi, honestique studio, & officio, &c. Improbatur, & insectatur Lucianus loco citato: quem prolixius differentem vide ibi.

HERACLITUS. adversus quem Julianus idem Apostata scripsit, quo pa-
do Cynica vita institui deberet, ut prodit Suidas, secta Cynicus fuit. Coz-
zand. ibidem.

SALUSTIUS Secta Cynicus fuit, cuius meminit Photius in Biblioth. c. 242.

è quo & alii ejusdem sectæ alumni memorantur, HEGESIANAX, POLYZENUS, THEOMNESTUS, atque XANTIPPUS; quorum præter nomina cætera intercidere. Cozzandus ibidem.

ENOMAUS Cynicus Gadarenis, Porphyrio paulo superior juxta Suidam in Οἰνόματι, cum Plutarcho, Sexto, Agathobulo sub Adriano Aug. celebris, teste Eusebio, Hieronymo, & Mariano Scoto in Chronicis. Scripsit τεπλ τῆς πατρὸς Φιλοσοφίας, *De Homerica Philosophia*, teste Suida ibidem: Nimirum uti nunc omnes Christianorum sectæ suam sectam Codici Sacro consentaneam esse volunt, & probant: ita olim Homerus quasi fons habebatur, è quo sua quæque Philosophorum gentilium secta dogmata derivabat. Sic enim ex Seneca Epist. 88. *Homerum quidam faciunt Philosophum Stoicum, virtutem solam probantem, & voluptates refugientem, & ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modò Epicureum, laudantem statum quietæ civitatis, & inter convivia, cantusque vitam exigentis: modò Peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modò Academicum, incerta omnia dicentem.* Scripsit præterea τεπλ Κυνισμοῦ, *De Cynismo*, & de Cynicis, inter quos memoriat Cratetem, Diogenem, Demetrium, Menippum, Musonium, Carneadem, Isidorum, Crescentem, Sphodriam, Theagenem, Didymum, Athenagoram, Alcidamantem, Salustium, Meleagrum, Cynuleum, Hegesianatem, Menandrum, Polyzelum, Theomnestum, Xanthippum, Herophilum, Peregrinum, sive Proteum, Maximum, Hesperium, Demonactem, & Onocratum. Confer Laërtium lib. 6. Meminit quoque hujus Ενομαι Thendoretus Serm. 6. & 10. ubi ipse & Diogenianus de Oraculorum mendaciis scripsisse dicuntur. Ex Jonsio de Script. Hist. Philos. l. 3. c. 7. n. 8.

C A P U T V.

De Philosophis Stoicis.

C H Ä R E M O N

Agyptius, secta Stoicus, ut ex Porphyrio, seculo I. vixit, Romæ Augusto, & Tiberio imperantibus; & Dionysii Alexandrini, qui Romæ docuit, & Imperatorum post Neronem usque ad Trajanum Bibliothecarius, & Scriba fuisse dicitur, præceptor fuit. Strabo lib. 17. afferit, Chæremonem secutum fuisse in Ægyptum Aulum Gallum, eique Philosophi, & Astronomi munus præstitisse: verum propter ejus vanitatem, & superbiam tandem ab eo despiciatui habitum. Refert Tzetzes, Chæremonem affirmasse, Phœnicem, avem cunctis notissimam, in Ægypto mortem obire post annos sex mille: cuius avis fabulam ultra reliquorum opinionem extendisse visus est; eam enim quidam vivere dixerunt annos 500. alii 660. alii tandem, ut notat Tacitus, annos 1400. Scripsit Chæremon *Tractatum de Hieroglyphicis Ægyptiorum, & Historiam Ægypti*, teste Josepho in fine lib. I. contra Appionem. Idem censetur cum Chæremone Stoico, quem Origenes lib. I. contra Celsum ait scripsisse *de Cometis*; & cum eo, quem Seneca Charimandrum vocat, & de Cometis scripsisse testatur. Vide etiam Voss. de Hist. Græc. lib. 2. & de Poët. Græc. c. 6. p. 41. *Lilium Gyraldum*, &c.

E U P H R A T E S

Genere item Ægyptius, clarus Stoicæ sectæ Philosophus, extrema senectute, & vitæ, morbis plenæ, tædio affectus, impetrata prius ab Adriano Imp. venia, ne sibi ignominiae daretur, cicutam babit, sicque sibi mortem intulit, ut notat Eusebius in Chron. an. Chr. 123. Adriani imperii quarto, vel, ut aliis placet, tertio. Xiphilinus in Adriano de Euphratis morte hæc habet: *Quo anno hæc facta sunt, Euphrates Philosophus obiit mortem voluntariam, cum ei Adrianus propter senectutem, & morbum, venenum bibere concessisset.* Meminit etiam Euphratis Eunapius in Proœmio Vit. Philos. & Sophist. atque C. Plin. Covil. Secundus, qui ejus in Syria auditor fuit, lib. 1. Epist. 10. in qua insignes etiam de Euphrate laudes contexuit.

M A R C I O N

Patria Synopeus, nam Synope, Ponti urbe celeberrima, natus est, unde & Ponticus dictus. Stoicam sectam primis vitæ annis fecutus est: unde solitudinis, & paupertatis amator erat. Sed cum sacrilegii cum virgine quadam reus deprehensus esset; pater, qui Episcopus erat, ipsum filium Ecclesiæ communione privavit. Inde Romam venit, ut in Ecclesiæ cœtum recipetur: quod cum ei, patre oppugnante, denegatum fuisset, si Divo Epiphanio præstanda fides; Cerdonis Hæsiarchæ discipulus factus est ad vindictam, cuius erroribus suos etiam addidit. Duos ipse Deos, sicut & Cerdon, ponebat, Bonum unum, Evangelii, ac Redemtionis autorem; Malum alterum, quem Mundi, ac Legis autorem dicebat. Addit Origenes, ipsum statuisse Deum Christianorum, Deum Judæorum, & Deum Infidelium. Tertullianus eruditus, & acriter in eum libros quosdam condidit, in quibus ipsum levitatis, inconstantiae, impietatis arguit: notans, & mire destruens in iis tum Deos suos, quos ad novem usque enumerat; tum singula sua ἀλογα dogmata, quæ refellit. Potissima verò sunt: Nulla est corporum resurrectio: Nuptiæ non permittendæ; nuptorum namque salus penitus desperanda; quibus etiam Baptismum denegabat; quamvis peccatoribus ad tres etiam Baptismos concederet; imò & mortuos quoque baptizaret, sufficitis eorum loco vivis. Hoc autem Sacramentum in ejus secta à feminis plerumque ministrabatur. Hujus sectæ affæclæ ab eo Marcionitæ dicti sunt; qui Marcionis erroribus suos etiam addiderunt; ut notat Eusebius, id à Rhodone Græco educens. Divus Polycarpus, Divi Joh. Evangelistæ discipulus, Romæ existens casu Marcioni in via obviam factus, ab eo interrogatus est, an ipsum agnosceret; cui Polycarpus: *Equidem te agnosco ut diaboli primogenitum.* Idem Polycarpus quamplurimos ex ejus affæclis ad Orthodoxam Fidem reduxit. Quod item fecit Theodoreus, Cyri Episcopus, Marcionitarum decem millia à suis erroribus abducens an. 423. ut ipsem testatus est. Constantinus Magnus editum contra Marcionitas, aliosque hæreticos, fecit an. 326. Contra Marcionem scripsit S. Justinus Martyr, Tertullianus, Augustinus, aliquie. Notandum denique hic, Marcionem à Tertulliano *Nauclerum Ponticum* appellari in Præscript. adversus Hæreticos cap. 30. & ab Eusebio *Ponticum Lupum*. Vide Acta Philos. p. 46.

Sunt inter autores, qui variis adducti rationibus hunc eundem cum Damasco Syro putant (quem Suidas Stoicum facit) & Elamitæ, sive Elamit Phrygis discipulum, sive familiarem, & Simplicii Cilicis præceptorem, ut in Comment. Physicis ipse metestatur: nam & hic sub Justiniano Imp. floruit, ut Agathias Scholasticus Hist. 11. afferit, & inter celebres sui temporis Philosophos enumerat. Suidas verò in Δαμ. & Phot. Cod. 1. 81. Simplicium Damascii condiscipulum malunt. Hunc Damascum Philosophum Syrum etiam appellat Jonsius, Stoicumque cum Suida facit, etsi alii Peripateticum. In Dialecticis Isidori Gazæi discipulus fuit (cujus etiam Vitam scripsit, ac fragmenta habet c. 242. ut notat Photius c. 130. & 180.) in dicendi arte Theonis; in Astrologicis Ptolemæi: Ammonium quoque audivit, Marinum, & Zenodotum, Athenis Procli successores, Damascius Jacobi Medici insignis, qui Proclum Athenis ægrotum curavit, statuam Athenis se vidisse testatur. Cozzandus Damascum Platonicum facit de Magister. Antiqu. Philos. p. 94. sed p. 97. sibi contradicens, Philosophum Syrum Stoicum appellat.

Scripsisse fertur libros 4. in quorum I. qui 352. capitibus continetur, agit de *Fictionibus incredibilibus*. II. qui cap. habet 52. est de *Incredibilibus Daemonum narrationibus*. III. qui continet cap. 63. agit de *Apparitionibus Incredibilibus*. IV. denique, cuius capita 105. tractat de *Ils, quæ naturæ superant potestatem*. Suidas tamen in Damasco, quem Philosophum Stoicum, genere Syrum, Simplicii, & Elamitæ, Phrygum familiarem, appellat, & Justiniani tempore florentem, tantum scripsisse ait *Commentaria in Platonem*, & de *Principiis*, τῷ Φιλόσοφῳ Ἰσιδρίῳ, *Historiam*, cui nomen *Philosophus*: hanc autem Historiam Philosophorum Vitas, & Systemata continuuisse putant non nulli. Vide Vossium de Hist. Gr. lib. 2. cap. 22. De Damasco etiam supradictum est in lib. 3. hujus Hist. ubi de Eclecticis pag. 169.

J U S T U S L I P S I U S

Literarum antistes, & magnum sui seculi ornamentum, in Iscano munici-
pio, quod tertio lapide à Bruxellis, urbe regia, & Belgicæ Principum se-
de, itemque à Lovanio, veteri Musarum domicilio, distat, natus est die 18.
Octobris an. 1547. Parentes habuit Ægidium Lipsium, & Isabellam Petiri-
viam, opibus claros, & genere per honestos. Philosophiae, Jurisprudentiae, omni-
genæque literaturæ studiis summa animi contentione in præclaris Belgicæ Aca-
demias operam dedit: in quibus omnibus quantum proficerit, varia, & eximia
ejus Opera ostendunt. Coloniam Ubiorum veniens, Annam Calstria vi-
duam, patricia Lovanii genitam familiam, uxorem duxit, ex qua prolem su-
sccepit nullam. Ex frequenti cum Batavis Hæreticis consuetudine ab Orthodo-
xa Fide defecit. Dum enim Lugduni Batavorum publicus Professor esset, Cal-
vini sectator fuit, vel esse simulavit. Sed Dei benignitate, & gratia ex Bata-
vis bono pioque dolo se subduxit: instituta scilicet profectione in Germaniam
ad Eburones ad Spadanos fontes acidos, pro hepatario, quo laborabat, morbo
(ut prætexebat) curando. Quare conscripto adversus Theodorum Cornher-
tium (quem nunc Diodorum, nunc Dialogistam ipse nuncupat, & qui novæ
in Religione sectæ apud Batavos autor erat) *De Una Religione* libello, dum
adhuc liber sub prælo erat, Hamburgo profectus est Moguntiacum, atque
cum Ecclesia Catholica Romana serio, ac publice mox in gratiam rediit: id-
que per Patres S. J. Moguntiaci commorantes palam patratum est. Quod idem
Li-

Lipsius literis ad Martinum Delrium, Loodici tunc agentem, datis testatus est, quibus impium suum scelus, scelerisque detestationem cunctis voluit innotescere. Vide ejus Epistolam ad cit. Delrium, Lipsii Vitæ ab Auberto Miræo conscriptæ insertam. In Orthodoxa tamen Fide ad mortem usque perseverans, sicut pie, ac sancte semper vixit, ita & mortuus est ex tussi, gravissimisque in peccatis defluxionibus, ex quibus phthisicus evasit. Cum igitur non scriptis solùm, sed factis etiam Christianum se Philosophum comprobasset, summis Christiano more Sacris omnibus, æquo, constanti, atque hilari animo inter plurimos adstantes, ejusque animam Deo commendantes, sacros Ministros, ultimum diem obiit 10. Cal. April. 1606. æt. 59. feliciori sane ageretur, quam Cæsar Augustus olim optavit, aut habuit, sed immenso Academiæ Lovaniensis, cui præfuit, totius Brabantiae Ordinum, ac literarii orbis dolore; postquam Jenæ, Lugduni, & Lovanii docuit.

Ipsi in ejusdem Lovaniensis Academiæ Exedra successit Ergcius Puteanus vir doctissimus, & Lipsii discipulus insignis, origine Belgicus, qui plurima, omnisque generis Opera edidit; inter quæ sunt *Philosophica*, & *Miscellanea quædam*.

Lipsius sicut omnibus Germaniæ Principibus, Præsulibus, Cardinalibus, ipsique Clementi VIII. ac totius fere Europæ Academiis eximiâ famâ innotuit; sic à singulis tum Principibus, tum populis, & Academiis stipendio, ac viatico, quod ipse definiret, splendide plures vocatus est. Sed gratus in Patriam amor, & Brabantiae Ordines, ipsum honestissimis congiariis ad se vocantes, eum longe abesse non permiserunt. Unde oblatos sibi honores, & opes omnes parvi æstimans, Lovanium se contulit; in cujus celeberrima Academia plures annos docuit. Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus Historiographi sui titulo, atque anno, splendidoque congiario Lipsium donavit: & Serenissimus Albertus Austrius suum Archiducalem Consiliarium fecit.

Inter cæteras præclaras Lipsii animi dotes, & virtutes, summa erga Deiparam pietas, & obsequium commendatur. A prima enim ætate Dei Matrem sibi patronam adoptavit; & ut primum ex Batavia Leodicum venit, in Virginis Sodalitium, cui PP. Societ. Jesu præsident, nomen dedit, ac publicas tum Leodici, tum Lovanii Panegyricas Orationes in Virginem habuit. Ejus præcipuum in Virginem Matrem cultus, & amoris argumentum esse possunt libri ab eo conscripti, quibus *Diva Virginis Hallensis*, & *Diva Sichemienis Miracula*, & *Laudes concinnavit*. Cujus Operis occasio hæc traditur. Quum gravissima teneretur ægritudine voto adstrictus Hallas ad celeberrimum, & mirabile Virginis templum venit. Ipsum supplicem sanitati Diva restituit. Quare ipse Pennam argenteam ante Virginis aram suspendit, ac pios versus subscrispsit; quorum initium:

Hanc, Diva, Pennam, interpretem mentis meæ &c.

Reliquos vide in Vita Lipsii, ab Auberto Miræo Bruxellensi conscripta, & ejusdem Operibus præfixa.

Scripsit permulta varii argumenti, sed erudita omnia, quæ tom. 6. in Fol. edita prostant, in quibus Philosophica sunt: *Manudictionis ad Stoicam Philosophiam lib. 3. Physiologie Stoicorum lib. 3. De Constantia lib. 2. Politicorum, sive Civilis Doctrinæ lib. 6. Ad libros Politicorum notæ: Monita, & Exempla Politica lib. 2.* Operum reliqua eruditæ sunt argumenti: ex quibus commendabiles potissimum sunt *Note in Opera Senecæ*; cujus etiam *Vitam eruditæ conscripsit*, ejusque Operibus præfixit. De Lipsii Philosophia, plura qui cupit, adeat Act. Philos. P. IV. p. 747. & seqq. Hujus denique Philosophi Symbolum, jam cunctis notum, est: *Moribus Antiquis*.

Si de Lipsii doctrina, ingenio, eruditione, moribus, summa laude dignis; Autorum testimonia cuncta hic proferre vellem, volumen facerem. Quare, aliis prætermis, pauca adnotasse sufficiat. Vossius Institut. Orator. I. 4. c. 6. n. 2. *Belgarum, dum viveret, doctissimus Justus Lipsius.* Ejus tamen dictio-
nem carpit ibidem num. 7. ut quandoque priscam, poëticam, & duram. Quod etiam confirmat de Hist. Lat. I. 1. c. 19. Scioppius Suspect. Lect. lib. 2. Epist. 7. *Lipsius gloriosum ævi nostri specimen.* Et de Art. Crit. p. 2. Illius de Constan-
tia liber quam diu vivet? Arguit tamen rigorose idem Sciop. in Pascasio Gro-
sippo. Quod item fit ab Ant. Teissier in Elog. Vir. Erud. à Scalig. posterior:
Grot. aliisque, quos vide apud Thom. Pope Blount in Censura Celebr. Aut.
ubi ejus præclaræ eruditionis fautores, & detractores observes. Tandem de
Lipso, ejusque scriptis ita Jonsius de Script. Hist. Philos. p. 144. *Imprimis eo
tempore Justus Lipsius, grande seculi decus, aliquam lucem doctrinæ morum
attulit, editis scriptis nonnullis doctissimis, quibus Stoicam Philosophiam po-
tissimum ex Senecæ, & Epicæti libris explicavit. Cujus Philosophiæ speci-
men primum complexus est libris duobus, quos de Constantia scripsit (ut ipse
faretur in Præfatione prima libris de Constantia præmissa) &c.*

C A P U T V L

De Philosophis Peripateticis.

BOETHUS SIDONIUS, qui cum Strabone Peripateticæ doctrinæ operam de-
dit, sub M. Antonino sec. 1. vixit; ac Romæ Anatomiarum, quas Ga-
lenus celebrabat, una cum Claudio Severo, etiam Peripatetico, spectator fuit;
ut advertit Jonsius de Script. Hist. Phil. I. 15.

ANATOLIUS, Laodicensis Episcopus, & Eusebii concivis sui successor,
doctrina, ac pietate clarus sub Diocletiano circa finem sec. 3. floruit. In Rhei-
torica, Mathesi, Philosophia, ac omni literarum genere eruditus, antequam
Episcopus crearetur, Alexandriæ publice docuit, ubi Christianorum primus
Peripateticam doctrinam manifestam reddidit; cuius deinde auctoritate in
Italiæ promanavit: quam Aristotelis Philosophiam omnium sapientissime
fertur interpretatus. Neque obstat, ab Eunapio Porphyrium Anatolio præla-
tum fuisse; Ethnicum scilicet Ethnico gratiam contulisse, quis non videt? Scri-
psit pauca, sed eximia, ex Eusebii judicio, qui eum sui ævi sapientissimum
appellat. Tractatum igitur nobis reliquit de Celebration Fæst. Pasch. alterum
vero de Arithmetice Institution. libris decem comprehensum. De quibus ita
S. Hieron. in Catal. Miræ doctrinæ vir fuit in Arithmetica, Geometria, Astro-
nomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica: cuius ingenii magnitudinem de
volumine, quod super Pascha composuit, & de decem libris de Arithmetice
Institutionibus, intelligere possumus. Vide etiam Baron. ad an. Chr. 283.
Voss. de Mathem. cap. 50. Trithem. &c.

DIDYMUS Alexandrinus, in Alexandriæ scholis præclarus Professor, an-
no ætatis quinto omni oculorum lumine orbatus, scientias omnes, etiam Ma-
thematicas, quod fidem superare videtur, per auditum didicit. Visus enim
defectui sic bene consuluit comparando sibi virum, qui autorum libros quoti-
die sibi legeret. S. Hieronymi post Divum Gregorium Nazianzenum præce-
ptor extitit; & pius æque ac doctus vixit ad annos 83. Verum magna
eum doctrina perdidit; nam in Origenis errores incidit; ac secum Melanium,
ac Rufnum, Aquilejenses Presbyteros suis traxit ratiociniis. Quare cum reli-
quis

quis Origenistis à Pontif. & Concil. Oecumen. hæresis damnatus est . De eo ita Jonsius de Script. Hist. Philos. lib. 3. 2. Didymus Alexandrinus Ecclesiasticus à puer oculis orbatus , Poëticæ , Rheticæ , Arithmeticæ , Geometricæ , & doctrinæ Syllogismorum Aristotelis, atque eloquentiæ Platonis maduera aurum adjumento didicit , teste Hieronimo de Script. Eccles. & Theodoreto Hist. Eccles. IV. 29. - - - - - Scriptit librum de Spiritu S. quem Hieronymus in latinum se vertisse testatur , qui que inter Hieronymi Opera etiamnum legitur . In eo de Sectis se scripsisse indicat Didymus sic pag. 5. Quod autem ab aliis capiatur Spiritus S. & non alia capiat , & nunc , & in Sectarum volumine , prout posuimus , expressimus . Iterum libro primo extremo : De quibus jam abundanter in Sectarum volumine disputavimus . Ex eo Didymi de Sectis Opere locum affert Stobæus Ecl. I. Ethica . Sed Theologicum fuit opus , neque de Sectis Philosophorum , sed Christianorum egit . Scriptit enim Didymus contra Arianos , teste Hieron. & contra Manichæos , teste Canisio tom. 5. Ant. Lect. De Didymo omnes 4. sec. Scriptores insignia elogia contexuere : quos vide .

SIMPLICIUS Phrygius, Damascii Stoici familiaris , floruit sec. 5. ac Commentarios super Aristotelem , & Epicteti Enchiridion nobis reliquit , qui etiam num exstant . Vide Suidam in Damasco , & Gesnerum in Bibliotheca .

FLACCUS ALBINUS ALCUINUS (quem alii etiam scribunt ALCHUINUM) vir in omni scientiarum genere suo tempore celebratissimus , versu excellens , & prosa , ut Sixt. Senens. & Trithem. eum vocat , vulgo etiam dictus Homo Universalis , & Secretarius Artium Liberalium ; natione Britannus fuit (quidam vero Eboracensem faciunt) ac sec. 8. floruit sub Carolo Magno , Francorum Rege , cui magister , familiaris , & carissimus existit . Voss. de Hist. Lat. Temporibus Pipini , & filii ejus Caroli Magni , Francorum Regum , claruit Flaccus Alcuinus , cui cognomentum Albinus fuit - - - Naticne hic erat Anglus : à Beda primum , hinc ab Egberto Archiepiscopo , est institutus . Docuit Carolum Magnum , ac eidem postea ab Eleemosynis , ac sanctioribus consiliis fuit . Etiam consilio ejus Carolus instituit Academiam Parisianam . Latine , Graece , Hebraice callebat : atque idem erat Rhetor , Philosophus , Mathematicus , & Theologus nobilis . Diaconus tantum fuit , & Antistes (vulgo Abbas) Ecclesiæ Sancti Martini Turonibus , ubi ultimum diem clausit in Festo Pentecostes 19. Maii an. 804 paralysim passus .

Scriptit multa , & præclara , quorum pars intercidit , pars collecta edita est ab Andr. Quercetano Paris. 1617. in fol. In 1. editorum operum parte Tractatus sunt super Sacris Bibliis . In 2. quæ ad Philosophiam , Theologiam , & Artes Liberales pertinent . In 3. sunt Opera Historica ; Epistolæ 115. & Poëmata . De quibus omnibus legendus Gul. Cave . Præter celeberrimam Parisiensem Academiam , Ticinensem etiam , atque alias fundasse dicitur .

Inter eos , qui Alcuinum maxime laudant , præter numeratos , sunt Card. Bona. Pitsæus : Duchesnius : Labæus : Bebelius , & Balæus , qui ipsum Philosophorum sui temporis Antesignanum appellat . Tantæ autem Christianæ pietatis vir fuit , ut veteres scriptores ipsum Beatum , & Sanctum sæpe appellarent . Exstat ejus Vita suis Operibus præfixa .

RABANUS MAURUS , Magnentius , Magnetius , & Magentius , quod Magentiæ , sive Moguntiæ natus , Alcuini discipulus , à puer Monachus S. Benedicti , & Abbas , ut ajunt , Fulda fuit ; inde Archiepiscopus Moguntinus factus an. 847. obiit die 4. Febr. 856. In omni disciplinarum genere excelluit . In Parisiensi Academia aliquando Professorem egit , & magno ornamento fuit Doctoribus Scholasticis , Philosophus , Rhetor , Astronomus , & Poëta subtilissimus , cui nec Italia , nec Germania similem peperit ; ut dignis eum laudibus ornant Il-

lyricus, Sixtus Senensis, Trithemius, Labbaeus, Balæus, Card. Bona, & Baronius, Platina in Vita Gregor. IV. Hofmannus, Gul. Cave, & Vossius de Hist. Lat. qui sua etiam Opera enunciat. Ex horum omnium in ipsum collatis encomiis illud unum adnotabo, quod habet cit. Gul. Cave in Hist. Literar. Script. Eccles. Erat quippe Rabanus extra controversiam inter seculi sunt doctrina clarae facile princeps. Nec ipse modo eruditissimus, sed solis instar doctrinæ radios ubique sparsit. Erat sub eo Fuldense Monasterium publica virtutis, & eruditionis schola: 270. monachos habebat, quos non solum in SS. Scripturis, sed etiam secularibus literis erudivit. Confluerunt etiam ad eum aliunde discipuli, adeout ex ejus schola prodirent, qui mox ad summas in Ecclesia, & Republica dignitates evecti sunt. In suorum usum Bibliothecam Fulensem prius cordidit, librisque ornatam reddidit: quin & ipse tot præclara scripsit volumina, quæ sola Bibliothecam instruere possent. Opera ejus existant in tom. 6. in fol. Exstat liber de Computo apud Beluz. Miscell. tom. 1. p. 1. In editorum numerum vide apud cit. Cave.

JOHANNES SCOTUS ERIGENA, vir perspicacis ingenii, multæ doctrinæ, & supra seculi sui captum doctus à Cave, aliisque dicitur. Hunc alii Anglum apud Ergene in confiniis Walliæ natum, alii Scotum, Hibernum alii fuisse volunt. A discipulis suis Monachis, à se liberius reprehensis, an. 884. in Cœnobio Malmesburiensi graphiis confessus, præacutisque scalpellis peremptus est. Scripsit multa, atque ex iis libros 5. Περὶ φύσεων μετατομῶν, de Naturarum divisione, impressos in Anglia Oxonii in fol. an. 1681. in quibus multa sunt Catholicæ Fidei contraria: quare scripsit contra eum quidam Florus, quia is ut hæreticus habebatur. E Scotia in Franciam venit, Carolo Calvo in deliciis fuit, qui & mensæ, & cubiculi Imperatorii sæpe participem fecit virum hunc corpore exiguum, sed ingenio maximum, festivum, ac facetum, Philosophum eximum, Theologum consummatum. Ejusdem Caroli jussu Hierarchiam Dionysii de Græco in Latinum de verbo in verbum transtulit. Relictis aliis de eo Autorum testimoniosis, referam tantum, quod habet Trithemius: *Jobannes dictus Erigena Monachus, in divinis scripturis doctus, & in disciplina secularium literarum eruditissimus, Græco, & Latino ad plenum instruitus eloquio, ingenio subtilis, sermone compositus.*

MICHAEL PSELLUS, vir sapientissimus, & Philosophorum princeps, à multis appellatus, & à Vossio de Hist. Gr. vir & eruditione, & fama maximus; patria Constantinopolitanus, Senator nobili genere ortus, Michaëlis Ducæ Imperatoris præceptor, claruit circa an. 1050. Sub Alexio Comneno dignitatibus exutus, monasticam vitam egit. In dogmate de Processione, Allatio teste, Latinorum hostis fuit; quod advertit etiam Gul. Cave, à quo vocatur in Hist. Literar. Script. Eccles. *Vir plane admirandus, & qui omnes ferre seculi sui eruditos dicendi copia, ingenii acumine, doctrinæ profunditate, longo post se intervallo reliquit.* Voss. de Philosophia c. 12. Anno 1060. ac deinceps claruit ille πολυγραφώτας Michaël Psellus: qui inter cætera reliquit libros duos, Constantino Ducæ dicatos, de Victimis Ratione, deque Facultatibus, & Succi qualitate elementorum. Latine vertit Georgius Valla &c. A Jonso de de Script. Hist. Phil. l. 3. c. 20. Psellus etiam commendatur, ejusque laudatur Lyræ Pythagoricæ Diagramma, quod muspiam editum, sed manuscriptum, servatur in Gallia, teste Labbaeo in Bibliothr. nova; nec non ejus Εὔηντος, siue Expositio in Zoroastris Oracula; ejusdemque Εὔηντος, sive Dogmatum Chaldaicorum Expositio, quas in Gottorpensi Bibliotheca manuscriptas affervari summus Morhofius tradit Polyhist. I. 7. 64. Scripsit pene infinita, Philosophica, Mathematica, Historica, Medica, Theologica, quorum Catalogum sat

tis amplum tam editorum, quam ~~avenditum~~ texit mira sane diligentia Leo Al-
latius Diatriba de Psellis, eorumque scriptis, Romæ edit. 1634. in 8. ubi pag.
42. de ipso ait: *Ausim dicere, neminem ea, vel subsequente ætate, Græce vel
invenisse acrius, vel ordinasse aptius, vel loquutum eloquentius, vel profun-
dius res pertractasse. Nulla fuit scientia &c. Vide, præter dictos, Annam
Comnenam lib. 5. Alexiados: Zonar. atque Bellarm. in suis Annal. Possevin.
Gesner. &c. Miror sane, Cozzandum de Magister. Antiqu. Phil. I. 1. c. 9. hunc
Psellum inter Platonicos numerasse; quum & Linden. de Script. Med. clare
dixerit: Michael Psellus Philosophus Peripateticus, & Medicus Græcus erudi-
tus &c. Et à Quenstedt etiam dicatur *Vir apprime doctus, cum in Philosophia
Peripatetica, tum vero præcipue in studiis Mathematicis, & Medicina. Fue-
re & alii Pselli, de quibus, & eorum scriptis legendus Leo Allatius cit. Dia-
triba de Psellis &c.**

PHILOSOPHIARABES.

GRÆCIA, Musarum olim domicilio, diruta; ROMA non semel vastata; &
ITALIA omni à barbaris eversa; PHILOSOPHIA, ac cætera literarum studia
diu conticuerunt, & defecerunt. Imo sub Zenone Imp. circa annum 473. ma-
gna veterum librorum, ac scientiarum jaætura facta est: Constantinopoli enim
viginti millia librorum incendio periæ. Tandem apud Arabes, magnæ Euro-
pæ parti tum dominantes, PHILOSOPHIA revixit, ac literæ refloruerunt: qui
Arabes Peripateticam omnium maxime excoluerunt. Horum princeps extitit

AVICENNA

A pud Arabes Abu Ali, Alhosaïn, Ben Sina, appellatus, & à Cæsare
Scaligero Vir Divinus dictus, & à Rhodigino singulari scientia Vir, &
ingenio exactissimo, sub Conrado II. & Henrico III. claruit. In Balech oppi-
do natus fuit patre Medico insigni (cui nomen Hali, matri vero Citara) anno
Heginæ 370. Christi 992. Vixit annos 58. ut mortuus sit anno Mubammedis
428. sive Christi 1050. Atque hæc cognoscere est ex Vita Avicennæ, quam
unus ex ejus discipulis, & ipse Arabs, scripsit. Quare toto seculo decepti sunt,
secundum quos (in iis est Neander Bremensis) Avicenna Cordubæ Averrhoëm,
Alexandriæ audivit Rhæsin in adolescentia. Multa quoque de hoc ipso narrant,
ut qui rotæ ab Averrhoë fuit impositus. Verum quam hæc sint falsa, appareat
ex supradictis, præcipue ex scripto Leonis Africani de doctis Arabibus, ubi
utriusque vita fuse describitur. Vossius de Philosoph. cap. 14. Et Edvv. Po-
cock in Specim. Hist. Arab. Avicenna Medicus, & Philosophus insignis. Non-
dum decenni major literas humaniores, & quidquid scientiarum ad Alchora-
ni intellectum pertinet, calluisse dicitur, & totam εγκυροταύδεαν ante annum
ætatis 18. absolvisse, quo temporis spatio nec unam noctem integrum dormi-
visse perhibetur; nec interdiu aliis rebus, quam lectioni vacasse. Cum aliquid
illi intellectu difficile occurreret, ad templum, nodi istius solutionem à Deo pre-
cibus impetraturus, se conferre solitus. Idem tamen in Notis Miscell. ad Por-
tam Mosis c. 7. ipsum de Religione suspectum, & de rebus alteram vitam
spectantibus philosophice, ideoque male argutantem, & disputantem asserit.
Hæc tandem ex Joh. Anton. Vander Linden addam de Script. Medic. Curavit
aliquando adhuc juvenis Regis Nuch filium, frustra suorum Medicorum operam
expertum. Ideo ad Regiam Bibliothecam admissus, majori contentione operam
studiis dedit. Et quum reliquum tempus discendo assunisset, anno ætatis 21. ad

scribendum animum appulit. In plerisque Mesuem imitatus est. Malus interdum fuit Evangelista, quia saepe aberrat. Sed robusto corpore, & valetudine prosperrima uti potuisset, nisi nimia veneris intemperantia, & assidua libidine, in quam natura maxime pronus erat, eam labefactasset. Reip. etiam negotiis præfuit, Vizir munus exercens.

Multa in Medicina, & Philosophia composuit, Aristoteli ita addictus, ut quidam referant, eum totam Aristotelis Metaphysicam memoria tenuisse; ut notat Konig. in Bibliotheca. Alii contra affirmant, eum, postquam terque, quaterque ipsam legisset, nec intelligere potuisset, illam deposuisse. Ingenio admodum perspicaci, tenacique ac vere prodigiosa memoria præditus (Persam dixisse sufficit) Medicis sui ævi præstítit. Præter Opera Medicæ, quæ multa, Philosophica sunt *Logica*, *Physica*, & *Metaphysica*, quæ Canonis Medicinæ libris 5. addita sunt.

Sunt qui Avicennam valde laudant, inter quos Cæsar Scaliger, ut diximus, & in Scaligerana prima etiam habetur; alii tamen mire arguunt; ut Lud. Viv. de Causs. Corrupt. Art. lib. 5. *Averrhois doctrina*, & *Metaphysica Avicennæ*, omnia denique illa *Arabica* mihi videntur respere deliramenta Alchorani: nihil fieri potest illis insulsius, frigidiusque. Medius tamen inter hos extitit Benedictus Pererius in Præfatione in suos libros de Principiis, & Affectionibus rerum Naturalium, ubi ait: *Inter Arabes suos quoque amatores, & sectatores habet*. Quem ego in Philosophia nec magnopere laudo, nec plane contemno. Fuit is præstantissimus Medicus, fuit etiam, quorundam judicio, peracutus Metaphysicus, sed eum doctrinæ Aristotelis (quam omnibus Philosophiæ studioſis maxime probatam, & cognitam esse oportet) nec admodum studiosum, nec admodum intelligentem, constat. Vide præter cit. Autores etiam Nicol. Massa in Vita Avicennæ; quam Sorsanus Arabs, ejus discipulus Arabicè prius scripserat.

A V E R R H O È S

SIve Averroës, sine aspiratione, vel Aven-Rois, quasi filius Rois, *Arabs*, in Africa educatus, naturali scientia vir præstantissimus, omniumque bonarum disciplinarum encyclopædiā adeptus, secta Mahometanus, tempore Miramolini Regis apud Cordubam, Hispaniæ urbem vetustissimam, floruit anno Domini 1149. Multa, ac varia composuit. Librum Colligit dictum, totam fere Medicinam complectentem, edidit. *Avicennæ emulus*, & *inimicissimus* fuit. Symphor. Campeg. lib. de Claris Medicis. Et Voss. de Philos. sect. p. 90. & 91. *Inter Arabas Aristotelis Interpretes princeps locus debetur Averroës*, unde & *ναρ' ἔρχως* dictus Commentator. Qui Graece nescius feliciter adeo mentem Aristotelis perspexit, quid non fecisset, si linguam scisset Graecam? Nomen ei sit latine *Roris*. Hinc Aven-Rois dictus, quasi filius Rois. Cordubæ floruit in Hispania anno natu Christo 1150. Testis Conciliator, ac *Egidius Romanus*, qui & autor est, filios Avenrois fuisse in Aula Frederici Barbarossa. Nec Philosophus modo, sed Medicinæ intelligentissimus fuit: de qua reliquit libros 7. Colligit inscriptos, quia universalia pertractat. Quam parum videbit tantus Philosophus in vera, & unica salutis via, arguit illud, quod dicceret, malle se animam suam esse cum Philosophis, quam cum Christianis. Maroccanæ Academiæ Professor fuit, ac Philosophus acutissimus à plurimis etiam appellatus; quandam veluti sectam condidit, cuius asseclæ Averrhoistæ dicti sunt. Laudatur etiam ab aliis, sed non multis.

Enimvero majores & autoritate, & numero sunt ejus obrectatores, quam lauda-

laudatores. Ludov. Viv. de causs. Corrupt. Art. l. 5. p. 296. & 297. Averrhoëm Philosophi de nostra schola, qui post eum scripsere, ita sunt amplexati, ut pene autoritate Aristotelis adæquarint, nec solum qui longo post intervallo vivierunt, sed qui illius quoque ætate: quod factum est & ignorantia meliorum, & admiratione mercimonii lingua, & sensis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud posteros vetustas, nomen est Commentatoris natus, homo, qui in Aristotele enarrando nihil minus explicat, quam eum ipsum, quem suscepit declarandum. Sed nec potuisse explicare etiam si divino fuisset ingenio, quum esset humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem afferebat, quo in Aristotele enarrando posset esse probe instructus? non cognitionem veteris memorie, non scientiam placitorum priscæ disciplinæ, & intelligentiam sectarum, quibus Aristoteles passim scatet. Itaque videoas eum pessime Philosophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit ignarus Græcitatis, ac Latinitatis. Cœl. Rhodig. Lect. Antiqu. l. 3. c. 2. Cur autem Commentator (Averrhoës) tam saepè ab Aristotelis sui sententia devius videatur, inde factum volunt, ut is in Hispania natus, & Arabum idiomate imbutus, cum Græcæ literaturæ ne apices quidem imbibisset, &c. Ab Erasmo Averrhoës Vir impius, & autor execrabilis vocatur. Quod confirmat Phil. Mornæus de verit. Relig. Christ. cap. 20. ubi ait: Aristoteles vulgo habetur parum religiosus: Averrhoës vero ejus Interpres impius plane. Et quidem nulli erat Religioni addictus, omnem æque damnans, etiam Mahumetanam, in qua versabatur; ipsam Religionem porcorum appellans; Christianam (præcipue ob incomprehensibile, Sanctissimum, sed verissimum Eucharistiæ Mysterium) Religionem impossibilem; Judæorum denique, Religionem infantium, vocans.

Scripsit, præter Medica, Commentarios in universam Aristotelis Philosophiam, unde & Commentator dictus est, ut supra notavimus. De quibus, præter jam dicta, ita Lipsius Manud. ad Stoicam Philos. dissert. 4. Averrhoës veluti lymphatur in Aristotelis laudes. Et Henr. Ernst. de vera Philosophia n. 85. jocose ait: In Aristotelis mancipia facile primum obtinet locum Averrhoës, qui, dum nunquam eum errasse dicit, in errores ipse manifestos labitur. Adr. vero Herebord. epist. Dedicat. ad Select. in Philos. Disputat. injuriosius scripsit: Averrhoës Philosopherum inter Arabes princeps magni Commentatoris nomine superbus (quem, si per Latinæ linguæ licet genium, Commentorem, aut Commentitorem verius quis dixerit, tot nobis Commenta reliquit) singula Aristotelis verba divina esse oracula arbitratus est. Vide etiam hujus Hist. pag. 108. Voss. de Philosoph. c. 14. Joh. Pic. Mirand. contra Astrol. Castellan. in Vit. Medic. Vander Linden de Script. Med. p. 94. ubi, ipsum ex familia Rasched natum Cordubæ, & Miramolini Regis Medicum fuisse, affirmat. Avempacem, Averrhois præceptorem, & Abubacher ejus socium fuisse, ferunt. Et Bened. Peresium loc. cit. supra in Avicenna.

RELIQUI ARABES.

AVICENNA, & Abenroë prolixius adnotatis, reliquos minoris notæ, sive quod de ipsis pauca inveniantur scripta, sive quod ad Medicam potius Historiam pertineant, sic breviter percurremus; eorum veluti Catalogum efformantes.

Inter Arabes igitur Peripateticos memorantur illustres Algazel, Beribizar, Sifac, Isaac Narbonensis, Abumaron Babylonius, Moyses Ægyptius, qui licet Cordubæ in Hispania natus, Ægyptius tamen dictus est, quia in

Ægy-

Ægyptum secedens, ejusdem loci magnatum Medicus fuit. Inter Arabes tandem immerito numeratur, qui patria Hispanus, origine Hebræus fuit, qui ab Hebræis ipsis omnium sapientissimus semper est habitus. Dictus etiam est Ben-Maimon, & Maimonides, hoc est, filius Maimon, & Rambam, quod significat Rabbi Moses Ben-Maimon; qui sec. 12. vixit. Hic Judaicis superstitionibus omnium minime addictus, scripsit, præter ea, quæ ad Talmud spectant, & Commentarios super Misna, Arabice exaratos, Opus aliud, cui titulus, *More nevokim*, quod ex Arabico in Hebræum, & ex Hebræo in Latinum traductum, à S. Thoma Aquinate citatur. In hoc Opere quamquam pessime probare nititur per Philosophiam, non omnes Hebræorum Traditiones veras esse, vel non eo modo, quo ipsi eas credunt: quare Hebrei, qui in Gallia erant, & librum tunc publice cremauerunt, & Autorem damnaverunt. Hodie tamen Rabbini ejus doctrinam reliquorum dogmatis anteponunt. Vide Buxtorf. in Præf. ad hunc lib.

Mahomet Toletinus, & inter Medicos *Johannes Mesue*, qui Medica plura scripsit; *Rhazes*, vulgo *Rasis*, *Alubeter*, & *Almansor*, filius *Zachariæ*, qui & Arabs, & Mauritanus æque dicitur, quia in Arabia natus, in Mauritania educatus est; sec. 10. vixit annos 120. & Medica, & Historiam Hispaniæ composuit. Vide Lindan. de Script. Medic. pag. 3. *Job. Serapion*, de quo ita Lind. de Script. Med. p. 681. *Arabs Medicus celeberrimus, cæteris omnibus, qui de materia Medica scripserunt, diligentior, Mahometicæ superstitionis cultor*. Vixit, & floruit sub Henrico IV. Imp. an. Cbr. 1066. *Wolfg. Juslus in Chronol. Medicorum*. *Moreau de Venef. in Pleurit*. Vixit an. Cbr. 742. sub Leone Imp. Ejus Opera vide ibidem. *Zoar*, cognomento sapiens, qui vixit an. Chr. 1163. ex cit. *Wolfg. & de Cura Calculi libellum edidit*.

ARABES ASTROLOGI.

His addendi Arabes, qui in Astrologia claruerunt; de quibus ita Cozzand. de Magister. Antiqu. Philos. 1. 2. c. 2. *Astrologiæ peritissimi Machometus Aratensis, sive Albategnius Arabs; Albumazar, vel Alboasar, ut Pico magis placet; Gebber, cuius hodie scripta de Alchymia magni momenti esse Hornius scribit lib. 6. Hist. Philos. cap. 10. Magnus Alphabarius, qui in Haram Mesopotamiæ, libris Aristotelis de Physico Auditu inventis, quadragies perlegit, eisque subscripsit: Vellem iterum legere; ut scribit G. Sionita cap. 2. Arabiæ. Alfraganus, Haly, Rhodoam, Arzabel Hispanus, Thebitius, Benchora. Qui omnes, & alii, ingenii sui monumenta literis consignarunt; sectatoresque habuere Arabas, Persas, Surrianos, Africanos, Hispanos.*

*Jonsius de Script. Hist. Philos. lib. 3. cap. 22. Ex Arabibus enim multos Philosophia-claros extitisse, testantur historiæ. Primi etenim post Græcos Aristotelis sectatores ætate media memorantur Arabum Medici, & Philosophi: Albategnius, Almansor, circa annum 1070. clari; & post annos deinde 70. Avicenna, & ejus æquales, Zour, & Averrois, qui Algazalo Mahometo libro respondit, cui nomen: *Destruçio Destructionis Philosophiæ*; cuius in prefatione dicit, ipsum à Corani studiofis corruptum fuisse: Corani autem principia omni seniori Philosophiæ contrariantur. Hinc inter scriptores Mahomettanos inventi sunt, qui omnem Philosophiam rejiciendam putarunt; è quibus potissimum Mahometes Algazalus, non omni modo Philosophiæ in senectute valedixerat, sed eam quoque peculiari opere, quod inscribitur: *Destruçio Philosophiæ, damnaverat*. Cui libro suum opposuerat Averrois. De Vitis Philosophorum*

phorum Aræbum librum scripsit Johannes Medices , sive potius Leo , cognomento Africanus ; de quo Voss. de Hist. Lat. lib. 3. 12.

De Aræbum denique doctrina tale est magai Joh. Pici Mirandulani judicium in sua Apologia pag. 118. Est apud Aræbes in Avenroë firmum , & inconsuatum , in Avempace , in Alphabario grave , & meditatum , in Avicenna dictum , atque Platonicum .

PHILOSOPHI SCHOLASTICI.

ARABUM Philosophis , qui una cum imperio in Hispaniam , Galliam , Italiam , aliasque Europæ partes Aristotelis Philosophiam adduxerunt ; Scholastici circa sec. 12. successere : qui rixandi potius , quam veritatis inquirendæ genio ducti , Excluserunt scholis priscos illos Timæum , Platonem , Plotinum , Plinium , Theophrastum , Ciceronem , Senecam , & reliquos hujus generis , qui maximum adferre adjumentum poterant ad naturæ contemplationem , de cœlis , de elementis , de animalibus , de stirpibus . Aristotelem retinuerunt solum , quod is unus ex illa antiquitate rixantium circulis esset aptus ; ut de ipsis scripsit Lud. Viv. de causs. corrupt. Art. lib. 5. Scholastici igitur Aræbum Philosophiam , eorumque philosophandi rationem , atque Averrhois in Stagiritæ textum Commentarios secuti , veritatem omnem non nisi in Aristotele , & Averrhoë inquirendam duxerunt , rati nil tantos viros latere potuisse . Quare Stagiritæ doctrinam , in magistri verba jurantes , vel clausis oculis amplexati sunt , tenuerunt , & pro aris & focis propugnarunt . Atque hinc factum , ut ex barbarorum Philosophia barbaræ etiam voces in Scholasticam irrepserint ; & inde in Theologiam , quam Scholastici eadem Philosophiae methodo , ac modo pertractarunt . Hanc itaque subtilem , abstractam , contentiosamque philosophandi rationem Scholastici ab Averrhoë potissimum , qui Aræbum subtilissimus , & ingeniosissimus habebatur , deduxerunt .

Immensum , & interminatum oceanum , fateor quidem , ingressum me quisque dicet , qui materiam tam vastam simul , & spinosam , ac per quinque circiter secula agitat ? nec tamen definitam , pertractandam susceperim . Verum non ea mihi mens est , Scholasticos omnes , eorumque scripta (quæ ad duodecim millia à Scholasticis edita enumerat Franciscus Patricius , ut in Aristotele notavimus) evolvere , & recensere ; sed eorum tantum Sectas , Sectarum Conditores , ac præcipuos , majorisque famæ sectatores , ea qua fieri poterit brevitate exponere , ne ad perfectam Philosophiæ , Philosophorumque notitiam , Philosophicæ Historiæ hujus Synopsi aliquid deesse videatur . Non est res unius ævi innumeræ Realium , & Nominalium , Thomistarum item , & Scotistarum , aliorumque Scholasticorum contentiones , rixas , altercationes de Universali , de Verborum sive ex se , sive ex hominum placito , significatione , & similibus , referre . Id igitur hujus mei Operis instituto satis esse duxi , quod modò dixi me facturum , & mox breviter tradam .

Scholasticorum Ætates , sive Periodos multi cum Hornio Hist. Philos. lib. 6. c. 2. in tres dividunt , Veterem , Medium , & Novam . Vetus à Lanfranco , sive potius à Petro Abelardo , & Petro Lombardo incipiens , in Albertum M. decurrit per annos circiter 200. Media ab Alberto M. ad Durandum de S. Porciano , annos fere 100. duravit . Nova à Durando ad Gabrielem Biel exten- ditur . Tempore Mediæ , & Novæ Scholasticorum Periodi , quatuor ortæ Scholasticorum sectæ , Albertistarum , Thomistarum , Scotistarum , & Occami- starum :

starum : De quibus nunc : Sed antequam ad has Latinorum ætates deveniamus ; notandus nobis est.

S. JOHANNES, DAMASCENUS à patria dictus , qui sec. 8. floruit in Oriente ; Syriam omnem sanctitate , & doctrina illustravit , & Aristotelis Philosophiam diu sepultam excitavit primus , propugnavit , propagavit : unde Scholasticorum apud Græcos caput audit . Et quidem insignis Philosophus fuit , ut ex ejus *Rudimentis Logicis* , accurate scriptis , patet . Chrysorrhoas ab Orthodoxis dictus est ob auream suam eloquentiam . Fidei , Ecclesiæ Traditionis , Sacrarumque Imaginum cultus defensor extitit an. 727. contra Imper. Leonem Isauricum , & an. 754. contra Imp. Constantinum Copronymum . Qua de re Hisiam , unus ex Sarracenorum primoribus , facta suppositione , quod Johannes Leoni Imp. epistolam scripsisset , ut Damascum invaderet (quam epistolam Leo , ad Johannem perdendum , ab eo sibi scriptam finixerat) manum ei obstructari jussit . Hanc autem manum sequenti nocte ei dormienti Deus sanam summa populi admiratione , restituit . Mortuus dicitur circa annum 760. non 390. ut quidam putarunt . Scripsit lib. 4. de Fide Orthodoxa : Orationes plures ad defensionem Fidei : & parvos Tractatus , sed plurimos . Non memorem Opera , quæ ipsi falsè tribuuntur . Quæ tamen sua sunt Syriace scripta ex Oriente cum attulisset Guilh. Postellus , ea Ottoni Henrico , Electori Palatino , cum aliis MSS. oppigneravit . Vide ejus Vitam à Joh. Hierosolymitano scriptam .

S C H O L A S T I C I P R I M Æ Æ T A T I S .

L A N F R A N C U S

Patria Papiensis , Monachus Benedictinus , deinde Archiepiscopus Cantuariensis , omnium suo tempore in Dialecticis doctissimus habitus , scripsit contra hæreticos sibi contemporaneos de Reali Præsentia Corporis , & Sanginis Christi : Commentarios in Epist. Divi Pauli : Notas in Cassianum : Librum Epistolarum , &c. Mortuus dicitur à Morery in Lex. Magn. Hist. die 24. Maii 1089. postquam Cantuariensem Ecclesiam an. 19. rexit : à Trithemio tamen , teste Hornio loc. cit. an. 1140. Vide Vitam , ejusdem Operibus praefixam . Hic primus , vel inter primos habetur , qui in Occidente Scholasticam patefecit .

Primis hisce Scholasticis Hornius loc. cit. Gilbertum Episcopum Pictaviensem , cognomento Porretam , adnumerat ; quem magnifice doctum , ingenio subtilem , novitate confusum vocat Trithemius , ut idem notat .

P E T R U S A B E L A R D U S

Sive , ut alii scribunt , Abailardus , & Abælardus , cognomento Dialecticus , natione Britannus , Scholasticus inter primos doctissimus , & magni nominis fuit . De hoc agens Trithemius ait : Ab hoc tempore Philosophia secularis Theologiam sua curiositate inutili fædere cœpit . Et Ant. Sadeel Præfat. in lib. de Verbo Dei scripto (damnatae hic memoriae vir) addit : Scholasticos illos , ob Philosophiæ cum Theologia confusionem , dicendos potius Philosophos , quam Theologos . Contrariam tamen enixe tuetur Scotus in 3. Sentent. distinc. 24. quæst. 1. ubi afferit : Scholasticos Doctores tandem Philosophiam cum Theologia maximo cum fructu miscuisse . Hic itaque Theologiam philosophice pertractandi mos , qui Italis , aliquique sibi propioribus , arrisit , & fructuosus habitus est ;

est ; ab aliis, potissimum extra Italiā, damnatur, ac prae cæteris à Lud. Viv. in Comment. in August. de Civ. Dei, ubi fere centies hunc morem exagitat. Sed ad Abelardum redeamus.

Parisijs Theologiam docuit (quod & alibi fecerat) ubi Heloisæ, sive Ludovicæ, puellæ comitate, pulchritudine, Philosophia, Hebraica, Græca, & Latina lingua celeberrimæ, amore captus, ut ipsam ex se utero gerentem novit, in Britanniam duxit, ibique filium ex ea habuit Astrolabium. Inde Parisios simul reversi sunt : ubi Abelardus ut suæ, ejusque animæ consuleret, ipsam, secreto tamen, sibi legitimam uxorem fecit, ac deinde in mulierum Cœnobium intulit, Deoque dicavit. Fulbertus vero Canonicus Parisiensis, ubi illatam sibi à Ludovica, & Abelardo injuriam rescivit (ea namque sua neptis erat) hanc pro hoc scelere ultionem repetere excogitavit. Servo suo mandavit, ut noctis tempore Abelardi domum ingressus ei testes avelleret, ut quæ corporis partes ei voluptati fuerant, inde dolori eadem essent, & infamiæ. Quo facto Abelardus rubore suffusus, ut omne hominum confortium vitaret, Monastico Cluniacensium instituto se devovit.

Scripsit tunc *Tradatum de Trinitate* : quem, sicut & quasdam alias suas sententias, in quibus ipse ab Orthodoxis aberravit, Synodus in Galliis à Ludovico VII. Rege coacta, autoritate Lucii II. Pont. Max. damnavit. Omnis autem Abelardi in Fide error inde manabat, quod suam Dialecticam (in qua maxime ipse pollebat) ab Aristotelica deductam, Theologiæ intrudere voluit. Sed à Petro, cognomento Venerabili, sui Cœnobii Antistite, & à Divo Bernardo reprehensus, resipuit, ac sanctissime vixit ad mortem usque, quæ ei contigit die 21. Aprilis 1143. ætatis 63. Ejus extant Opera vol. uno in 4. edita, quæ continent ejusdem Epistolas ad Ludovicam, & Ludovicæ ad ipsum : Historiam suorum infortuniorum, cum Notis Du Chesne : Commentarios in Epist. Divi Pauli ad Romanos, &c. Abelardi tumulo duo inscripta sunt Epitaphia ; quorum unum :

*Petrus in hac petra latitat, quem mundus Homerum
Clamabat : sed jam sidera sidus habent.*

Sol erat hic Gallis, &c.

Alterum verò sequens est :

*Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis, quicumque fuerunt,
Aut par, aut melior, &c.*

Vide D. Bern. in Epist. Petrum Cluniacensem lib. 4. Epist. Vignierum, Gernerum, Trithemium, atque alios, quos citat Franciscus d'Amboise in ejus Vita.

P E T R U S L O M B A R D U S

Primus (vel inter primos) illorum, qui Scholastici appellantur, autor, & conditor, Natione Lombardus, patria Novariensis, ab oppido urbi illi vicino, quod vulgo Lumen omnium dicitur, Magister Sententiarum vulgo datus, ex Theologicæ Scholæ præsidente, qui per ea tempora Scholasticus vocabatur, Parisiensis, non Archiepiscopus, ut alicubi scripsit minus circumspete Blondellus, sed Episcopus ab A. C. 1159. vel sequenti, quod ei ob eminentem doctrinam cessit Philippus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, Ludovici VI. Regis Franciæ filius, & Ludovici VII. frater usque ad diem 20. Julii anni 1164. quo vitam finiit, & in suburbana S. Marcelli Ecclesia conditus est. Labbæus de Script. Eccles.

P p

Scripsit

Scripsit libros 4. *Sententiarum*, qui exstant in 4. *Commentarios in Psalmos*, in fol. *In Epistolas Divi Pauli Collectanea*, in fol. In libros *Sententiarum* innumeri fere editi sunt Scholasticorum Commentarii; inter quos præcipui sunt *Guilhelmus d'Auxerre*, *Albertus M. S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Guilhelmus Durandus*, *Ægidius Romanus*, *Gabriel Major*, *Scotus*, *Ockam*, *Estius*, atque alii. Commendatur à *Sixto Senensi* lib. 4. Bibl. Sanct. ubi ait: *Hunc omnes Scholæ Theologorum singulari quadam venerationis excellentia Magistrum Sententiarum appellant*, & in cuius *Theologiæ Compendium innumerabilia disputationum volumina eruditissimi clarissimarum toto orbe Christiano Academiarum Theologi elaborarunt*, &c. A *Trithemio* vocatur *Vir in divinis Scripturis studiofissimus*, & nobiliter doctus; *ingento subtilis*, & *clarus eloquio*, &c. *Bellarminus* vero de *Script. Eccles.* refert, notari articulos 26. in quibus *Lombardus* à suis etiam fautoribus, Scholasticisque Doctoribus reicitur; nec defuisse, qui ipsum hæresis nomine ad *Alexandrum III. Pontificem Max.* detulerint, quod docuisset, Christum, ut hominem, non esse aliquid. Quæ ejus sententia annis novendecim post suum obitum damnata fuit in Concilio Parisiensi jussu ejusdem Pont. Laudatur etiam ab *Henrico Gandavensi*, & *Rolando Mares.* in *Epist. & Rog. Ascham.* Contra tamen carpitur nimium à *Mornæo*, *Gul. Cave*, *Henn. Witten.* aliisque, sed hæreticis.

ALEXANDER DE ALES

Sive de Hales; sic dictus à Cœnobio Hales, quod est in Chester, ubi fuerat educatus; natione Anglus, *Doctor Irrefragabilis* appellatus, SS. Bonaventuræ, & Thomæ præceptor, sec. 13. floruit. Summæ doctrinæ, ac pietatis vir fuit, potissimum vero in Deiparam, cui jurejurando se obstrinxerat, referente Alberto Crantz, omnia se concessurum iis, qui Deiparæ nomine postularent. Quod scientes Franciscani Fratres ad *Alexandrum* ex suis quendam miserunt, qui SS. Virginis nomine ab eo peterent, ut Franciscanæ familiæ se devoveret: quod Alexander statim, & ultro fecit Parisiis; ubi antequam Religionem hanc ingrederetur, Regiæ illius, eximiæque Universitatis Doctor, ac Philosophiæ, Theologiæque Professor erat celeberrimus. Hic omnium primus in *Lombardum Commentator* fuisse dicitur. Scripsit præterea jussu Innocentii IV. *Theologiam* in 4. partes divisam: *Notas*, & *Commentarios in universa fere Sacra Biblia*: *Vitas S. Thomæ Cantuariensis*, *Regis Richardi*, & *Mabumetis*: *Metaphysics lib. 4. De Anima lib. 1. Tractatum de SS. Virgine*, in quo ipsam sine peccati labe conceptam pluribus contestatur: & alia, quæ junctim edita habentur. Obiit an. 1245. ac in sua Fratrum Ecclesia sepulcro conditus; cui hoc Epitaphium superpositum:

Clauditur hoc tumulo famam sortitus abunde,

Gloria Doctorum, decus & flos Philosophorum, &c.

Vide *Henricum Gandavensem de Script. Eccles. c. 46. Bellarminum; Possevnum; Le Mire; Gesnerum, &c.*

SCHOLASTICI SECUNDÆ, SIVE MEDIÆ ÆTATIS.

ALBERTUS MAGNUS

Scholasticorum Secundæ, sive Mediæ Ætatis, Caput, & Princeps; à quo prima Scholasticorum secta, quæ ab autore *Albertistarum* dicitur, condita est; *Lavingæ apud Suevos ex nobilissima Dynastiarum Boltstatensium familia natus,*

natus, in Prædicatorum Ordinem adscriptus anno 1221. discipulos inter alios habuit S. Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratensem. Dein creatus ab Urbano IV. Papa Ratisbonensis ad Danubium in Germania Episcopus an. 1260. prioris ocii studio, & literarum amore dilectam sibi Coloniam Agrippinam rediit, ubi etatis anno 87. (qui anno 1205. non 1193. natum volunt, annos tantum 75. vixisse fatebuntur) Christi 1280. 15. Novembris obiit eruditione, ac pietate præstantissimus, ibidemque sepultus est. Philip. Labbe de Script. Eccles. Occasio autem sui in Prædicatorum Ordinem ingressus fuit, quod Ticini, Gymnasio celeberrimi, ad scientias addiscendas degens, P. Jordanum, Generalem ejusdem Ordinis Ministrum, & magnum ibi Divini Verbi Præconem, audiverit: cuius verbis adductus, præclarum Prædicatorum Ordinem amplexus est. Post Jordani mortem ad Philosophiam, sacrasque doctrinas docendas Coloniam missus, & inde Lutetiam Parisiorum, tantam hic loci discipulorum copiam habuit, ut in platea discipulis dictare opus ei fuerit: quæ platea usquenum la Place Maubert, quasi Platea Magistri Auberti, dicitur. Inde Coloniam rediit; unde ab Alexandro IV. Romam accitus, ibi & publice docuit, & Sacri Palatii Magistri munus exercuit. Ab Urbano IV. Ratisbonensis Episcopus creatus, diu in Episcopatu vivere non sustinuit; sed huic dignitati Cœnobii solitudinem, & quietem præferens, Episcopatu se abdicavit, & ad alios docendum rediit. Gregorii X. jussu an. 1274. Generali Lugdunensi Concilio interfuit. Tandem obiit die, & anno, modò dictis.

Maxima Alberti laudum censenda est, S. Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratensem, discipulos habuisse. Summe tamen laudatur etiam à non Scholasticis, & Hæreticorum plurimis. Hornius lib. 6. Hist. Philos. c. 3. ex Trithemio, ipsum vocat Virum summi ingenii, admirandæ industriæ, & nulli suo tempore in Philosophia secundum. Quas laudes Scaliger etiam suo suffragio comprobavit. *Magnus*, & *Divus* propter stupendam suam eruditionem appellatus est. Vossius de Scient. Mathem. p. 362. Anno 1252. longe, lateque radios sui nominis dispergebat Albertus Magnus, Episcopus Ratisbonensis, nulli suo ævo doctrina secundus; qui emisit monumenta sui ingenii, ac doctrinæ permulta. Sixt. Senens. in Bibl. l. 4. Vir eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortasse nulla latuerunt; sublimibus ingenit, ac memoriae viribus usque ad miraculum præstans, &c. Commendatur etiam à Naudè in Biblioth. Politic. Thom. Lausio, Quenstedt, atque aliis: sed omnium impensissime à Joh. Aventino lib. 7. Annal. ubi eum appellat Germanum Varronem, atque etiam longe Varrone doctiorem; Naturæ secundum Aristotelem verissimum Interpretem, quem nihil penitus fugerit, omnia perfecte noverit; adeoque singula, quæ de omnibus scientiis scripsit, in suo genere absoluta esse, ac si uni dumtaxat operam navasset, &c. Similiter & à Trithemio, qui de ipso ait: *Non surrexit post eum vir similis ei, qui in omnibus literis, scientiis, & rebus, tam doctus, eruditus, & expertus fuerit.* Neque mirum foret, ipsum tam sublimem rerum scientiam consecutum fuisse, modò verum sit, quod Dominicani Ordinis Annales referunt, eum scilicet admirandam hanc doctrinam, Deiparae ope, divinitus inditam hausisse: ac quinquennio ante mortem Philosophiæ oblivionem ab eadem Virgine impretrasse; ut præter alios notat Konig. in Biblioth. his verbis: *Is Sectam Albertistarum condidit, & Aristotelis Philosophiam S. Scripturæ æquiparavit.* Ferdinandus Castillus, & Ant. Possevinus memorant, ipsum quinquennio ante mortem omnium, quæ in Philosophia didicerat, oblitum: à B. Virgine autem impretrasse, ne se in Philosophorum opinionibus, sed Fide Christiana, & Charitate mori sineret. Simile quid Simoni Thurvavo Anglo, Parisiensi

Doctori accidisse, ex Joh. Balæo Cent. 3. notat Hornius ibidem. Is enim Dialecticus acutissimus, qui circa an. Chr. 1200. vixit, cum blasphemus esset in Christi doctrinam, eamque facillime se refutaturum diceret, omni non modo eruditione, sed & loquela privatus fuit. Cumque vox rediret, neque literas noverat amplius, neque Orationem Dominicam, ac à filio prima alphabeti elementa denuo discere conabatur. Idem Georgio Trapezuntio in sequente evenisse, nos supra notavimus.

Barbaræ tamen locutionis ipsum criminatur Cœl. Rhodig. Var. Lect. 1. 1. c. 11. *In dicendo Gothicum sapit, & barbarum: oratione squarrosa prorsum, & illempida*. Inter Peripateticos tamen nominis celeberrimi. Et alibi ejusdem Operis: *Homo Græcæ doctrinæ ignarus, in multis bujus scientiæ uidetur peccasse Albertus*. Anilia vero, ac prorsus ridicula sunt, quæ ei imperiti quidam objectant, ipsum scilicet Magiam excoluisse; caput creasse, magiæ, vel mechanicæ opera loquens; Pyrium pulverem invenisse; Lapidem Philosophicum efformasse; & inepta plura his similia. Apud eruditos enim, potissimum criticos in confessu semper fuit, hæc mera sciolorum figmenta esse. Hinc supposititii censentur tractatus de Metallis, & Lapidibus; liber de Mirabilibus, & alter de Secretis Mulierum (qui damnatus est in Edicto 16. Decembris 1605.) & alia hujus generis, quæ superstitiosa, vel vana continent, & tanto viro falso tribuuntur. Merito igitur Trithemius ait: *Quod autem de Necromantia accusatur, injuriam patitur vir Deo dilectus*. Vide, præter Bellarminum, & alios, Naudé in Apologia pro Viris Illustribus Magiæ accusatis; & Ant. Flaminium in ejus Vita lib. 3. de Viris Illustr. Ord. Prædicatorum. Adde vel hoc tam magni, sanctissimique Doctoris probitatis testimonium notissimum, quod ejus post biseptuaginta annos corpus integrum inventum veneratione beatum.

Scripsit plurima, quæ in 21. Tomos in fol. digesta edidit P. Petrus Jammius Ord. Prædicat. Lugduni an. 1651. Notandum tamen, Jammium quædam Alberti vera Opera præteriisse, supposititia vero quædam inseruisse.

SCHOLASTICI REALES THOMISTÆ, QUORUM CAPUT

S. THOMAS AQUINAS

Theologorum *Aquila*, *Scholarum Angelus*, *Ecclesiæ Doctor Angelicus* appellatus, Neapolitani Regni, totiusque Christiani Orbis ornamentum insigne, vita, doctrina, & miraculis celeberrimus fuit. Natus est in Urbe Latii Aquino ex nobilissima Comitum Aquinatum stirpe an. 1224. ac præclarum S. Dominici Ordinem, fratribus, ac domesticis omnibus nedum renuentibus, sed etiam ei obfistentibus, ingressus, missusque Coloniam, ac Parisios, Philosophicis, & Theologicis studiis operam dedit sub Alexandro de Ales, & Alberto M. ut supra dictum. Anno 1255. eadem die cum S. Bonaventura Doctor Theologus in facultate Parisiensi creatus, ad plures annos ibidem docuit magnâ & sui nominis fama, & auditorum concurso. Oblatum sibi Archiepiscopatum Neapolis, aliasque insignes Ecclesiæ dignitates repudiavit. Urbani IV. SS. Eucharistiae Sacramenti Festum diem instituentis, jussu, de eodem maximo Ecclesiæ Sacramento Missam, & Officium composuit. Evocatus à Gregorio X. Pontifice ad Concilium Lugdunense II. an. 1274. ætatis 50. die 7. Martii in itinere obiit in Cœnobio Fossænovæ Ordinis Cisterciensis prope Amasenum, Campaniæ fluvium: cuius corpus inde Tolosam translatum est an. 1368. sub Urbano VI. Pontifice Sanctorum Catalogo adscriptus est die 18. Ju-

18. Julii an. 1323. à Joh. Pontifice XXII. & à Pio V. cum primis Latinæ Ecclesiæ Doctoribus adnumeratus.

Scripsit in omnem Aristotelis *Philosophiam Commentarios*. Mysticæ, Scholasticæque Theologiæ instaurator in omnibus Academiis audit. Divi Augustini mentem in omnibus ita expressit, ut si Μετεπούχως dari posset, Augustini animam in Thomam transmigrasse dicendum esset, ut notat Sixt. Senensis. Biblioth. Sanct. l.4. Theologica Dogmata omnium optime copia, brevitate, facilitate, & securitate mirabiliter ubique in suis Operibus exhibuit; potissimum verò in *Summa Theologica*, quam tanti omnes fecerunt, ut nedum Græci, ut notat D. Chytræus de Statu Ecclesiæ in Græcia, sed etiam Arabes, & Sinenses in suum sermonem converterint. In *Sacram Scripturam Commentarios* edidit, atque alia plura; quæ omnia Tom. 18. in fol. collecta prodierunt simul cum ejus Vita, & Commentariis Thomæ de Vio Cajetani Cardin. & Francisci Ferrarensis.

Quod ad Censuram S. Thomæ Operum, notandum primò ex Erasmo, *Opusculum de Symbolo*, quod S. Thomæ nomine circumfertur, eruditum quidem, & pium non videri ipsius esse. Secundò Bellarminus negat, *Librum de Regimine Principum* genuinum esse, tum quia autor hujus operis stylum diversum habet à stylo S. Thomæ, quod hic fusiùs, & prolixius scribat, ille pressius, & brevius; tum etiam quia autor hujus operis non pauca levia de nominibus magistratum proferat, quæ S. Thomæ nunquam excidissent. Quæ caussa forsan extitit, cur in editione Lovaniensi 1652. hoc Opus cum reliquis non sit editum. Accedit etiam, quod S. Thomas *Libros 7. de Eruditione Principum*, plane utilissimos, jam scripserat, qui habentur inter *Opuscula Romæ edita*: quare de Regimine Principum iterum scribere non erat opus. An autem S. Thomas Summam Theologiæ è Vincentii Bellovacensis Speculo Morali sumferit, ut putavit Franciscus Garcia; an potius hic ab illo hauferit, quod probabilius; vide cit. Bellarm. & Thomas. de Plagio sect. 560. & 561.

Tempus quidem me deficeret, si vel præcipuas hujus tam præclarri Ecclesiæ Doctoris Theologorum Principis, Philosophorum Peripateticorum Antesignani, à quo *Secunda Scholasticorum Secta*, THOMISTARUM ab eo dicta, ortum duxit, laudes vellem contexere. Quare omissis elogiis, à Scholasticis, aliisque, qui ejus laudis fautores dici possent, pro eo dictis; eorum, qui potiores Critici, eique minus grati, judicium proferam. Lud. Vives de Trad. Discipl. l.5. *Scriptor de Schola omnium sanissimus, & minime ineptus*. Idem in August. l. 11. de Civ. Dei c. 34. Thomas nimis est Aristotelicus, & res, omnem naturæ vim, captumque excedentes, cogit naturalibus parere legibus. Scaligerana 2. Thomas Aquinas Dominicanus fuit doctus, ingenio utcumque tardus. Gabr. Naudè in Bibl. Politie. Thomæ ingenium rerum optimarum, & politicarum copia luxurians, & ad grandia quæque, & difficillima natum, dixit Hornius Hist. Philos. l.6.c.4. Hoc neque in studendo diligentior quisquam, neque parcior in loquendo fuit, unde à condiscipulis contemtim Bos Mutus appellabatur. Sed Albertus Thomæ ingenio perspecto, Bos hic, inquietabat, si mugire cœperit, totum orbem beatu suo implebit. Quod ex J. B. Fulgosio Hornius sumisit. Rich. Simon. Hist. Critic. V. T. l.3. c. 10. Soliditate, & judicio suis in *Biblia Commentariis* admodum pollet. Erasmus in 1. Rom. pag. 244. Thomas Aquinas, vir non suo tantum seculo magnus. Nam meo quidem animo nullus recentium Theologorum, cui pars sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliqua que bonarum literarum supplex contingere, qui ita, quæ per eam tempestaverunt

tem dabantur, tam dextre sit usus. Linguas etiam, politioresque literas in eo tantum desiderat Roland. Mares. I. 2. Epist. epist. 41. sed id condonandum ait infelis illius seculi summæ barbariei. Culpam hanc in eo agnoscit ~~exortuſtare~~. Quenstedt de Vir. Illustr. p. 389. ubi ait: *In eo culpandus maxime Thomas est, quod non tantum Philosophica principia, sed etiam Philosophorum verba, & Placita ad conclusiones Theologicas audacter applicat: quod vel ipsi Parisienses Magistri in illo improbant.* Sed omnium impensisime eum commendat Drexel. in Aurifodin. c. 7. ubi: *Thomas Aquinas Theologiam in eum deduxit ordinem, ea perfudit luce, iis locupletavit incrementis, ut universa posteritas illi quamplurimum debeat.* Compendio utendum est in bujus Viri elogiis, aliqui qui ea ad diet finem non finiemus. Aquinas sapientiae, & sanctitatis magnum jubar, tametsi opem divinam suis scriptionibus faventem habuerit, humana tamen industriam in se desiderari, nequaquam passus est. Legit plurima &c. Et profecto suam omnem doctrinam divinitus accepisse, communis fama affirmat. Et Henr. Jul. Scheurl. in Bibliogr. Moral. S. Thomæ Lectio-nes Ethicas Opus auro contra æstimandum, & quo vix ullum absolutius, di-xit. Plura qui cupid, adeat ejus Vitam suis Operibus præfixam: Henr. Gandy. c. 45. de script. Eccl. &c.

THOMISTARUM SECTA SCHOLASTICORUM REALIUM prima (licet & Scotistæ ex Realibus sint, ut infra notabimus) dicenda est. Omnes enim Scholastici vel secundum temporis seriem notantur, & in 3. Ætates, sive Pe-riodos distinguuntur, ut supra diximus. Vel secundum Sectas, ab earum au-toribus nomen sumentes, & quatuor hæ esse dicuntur, ALBERTISTARUM, THOMISTARUM, SCOTISTARUM, & OCCAMISTARUM, ab Alberto, Thoma, Scoto, & Occamo. Vel denique à Sectarum differenti doctrina, & sententia, & duæ recensentur, SECTA REALIUM, & SECTA NOMINALIUM. Prima THOMISTAS, & SCOTISTAS amplectitur (quamvis Scotistæ Thomistis in qui-busdam non convenient, ut infra) Secunda tantum OCCAMISTAS continet. REALES appellantur Scholastici omnes, qui Universale reponunt in *Re*; hoc est, Universale, dicunt esse *Rem*, sive Naturam, & Essentiam communem pluribus. Unde *Homo*, e.g. ut Universale significat suam Essentiam, sive Ratio-nalitatem, ut ajunt, quatenus Platoni, Socrati &c. convenire potest, & de ipsis affirmari. Contra vero NOMINALES dicuntur Scholastici, qui Universa-lia mera esse *Nomina*, non *Res*, contra Reales defendunt. Afferunt scilicet Universale non esse nisi simplex *Nomen* commune pluribus. Quare *Homo* e.g. non est, nisi literarum, & syllabarum congeries, quæ non significat Essentiam, communem pluribus inferioribus, sed ipsamet inferiora, sive particularia, ut *Plato*, *Socrates* &c. sive junctim, sive separatim.

Monitum te h̄ic velim, amice Lector, me in tam vasta, difficile, ac confusa Scholasticorum provincia, consueto mihi in hac Historia ordine, & clari-tate non procedere; nam in tanta rerum confusione satius duxi, post recensi-tos Sectarum Principes, eorumque (si fuerint) præcipuos discipulos, Peripateticos alios contemporaneos recensere, quām Scholasticos, & non Scholasti-cos Thomistas, & Scotistas exactissime rimari. Si igitur quandoque Thomi-stas, & Scotistas inter se, & cum aliis Peripateticis etiam non Scholasticis confusos videris, id factum scias, ut Peripateticos συγχρόνες, hoc est qui eo-dem tempore vixerunt, notentur; sicque ætatis potius, quām sectæ ordo rigo-rose servetur; omnes igitur Peripatetici cūm sint, junctim ponuntur. Verūm, quoad fieri poterit, debitus etiam inter Scholasticos ordo, & series non præter-mittetur.

THOMAS CANTIPRATENSIS

SThomæ Aquinatis sub Alberto Magno condiscipulus, in Brabantia natus, in pago quodam prope Bruxellas; dictus autem Cantipratensis, quia Canonorum, quos Regulares vocant, Ordinis S. Augustini in Cantipratensi Cœnobio habitum primo sumvit: deinde Dominicanus factus cum Divo Thoma sub Alberto Philosophiae, & Theologiæ operam navavit; quam deinde Lonii docuit. Scripsit, præter Vitas SS. aliosque Tractatus, Libros 2. in 8. editos, quibus titulus: *Bonum Universale de Apibus*; quibus autoris etiam Vita adjuncta est. Sunt qui putant, eum ad preces S. Thomæ de Græco in Latinum vertisse universa Aristotelis Opera. Sed ante traducta fuisse Critici affirmant. Obiisse dicitur die 15. Maii an. 1293. Vide Voss. Henr. Gandav. Le Mire &c.

JOHANNES XXI. PONT. MAX.

NE dum silentio non prætereundus, sed speciali memoria inter Scholasticos recensendus. Natus est Ulyssippone, Portugalliae Regni, totiusque Hispaniæ urbium maxima, ditissima, & pulcherrima, Lusitaniæ Regum sede, superbissimo Regio Palatio, magnificis Templis, Arcibus, & Aedibus undique decorata; amplissimo ne dum mercium omnium, sed literarum, literatorumque Emporio clarissima. Neque dicas, genere Hispanum fuisse, quod vulgo sub nomine *Petri Hispani* veniat; Hispania enim generali voce etiam Lusitaniam comprehendit; & ideo Lusitanos ab autoribus Hispanos appellatos sæpe invenies. Ei nomen fuit *Johannes-Petrus*: professione Medicus fuit, *Medici* & ipse filius. Scripsit (ut in Catalogo autorum sui ævi invenitur) *Thesaurum Remediorum ad sanitatem tuendam*. Primum Archidiaconus, inde Archiepiscopus Bracarensis in Portugalliae Regno fuit; postea an. 1268. à Gregorio X. Cardinalis Tusculanus creatus, tandem in summum Pontificem electus est die 13. Septembris 1276. post Adriani V. mortem. Dum Pontifex esset (quam supremam dignitatem tantum menses circiter octo tenuit; nam ex corporis laetione, quam ex casu domus passus est, tandem obiit Viterbii mense Mayo 1277.) Michaëli Palæologo Legatos misit, ut ea, quæ in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. decreta fuerant, ne vel iota unum præteriret.

Johannes hic Pont. Max. à Patria, situ, divitiis, magnificentia, vastitate, armis, literis, celeberrima, & nulli magnarum urbium secunda, magnum, fateor quidem, decus accepit; sed majus ei reddidit nedum dignitatis omnium supremæ splendore, sed etiam literarum gloria. Scripsit enim plura, immortalitate digna; inter quæ præcipua: *Summulæ Logicales*; *Parva Logica*; *in Physiognomiam Aristot. Dialectica*. *Epistolæ*. *Canones Medicinæ*. *De Oculis*; atque alia, quæ videre est in Biblioth. Pontif. P. Ludovici Jacobi. Vide Spond. ad A. C. 1276. & 1277. Papir. Masson, & Du Chesne in Hist. Pontif.

Unum ex innumeris tam magni Pontificis elogiis, omissis aliis, non omittam, ab hæreticis scilicet perpetuis Pontificum hostibus, etiam commendari. Pro quibus omnibus unus sit Hornius, qui lib. 6. Hist. Philos. c. 4. ait: *Thoma non multum recentior fuit Petrus Hispanus, initio Cardinalis, postea Pontifex dictus Johannes XXI. qui magnam famam asecutus est Summulis suis Dialecticis. Quam tamen famam ut denigraret idem autor, subdit: Quas tamen ex Michaëlis Pselli Synopsi Organis Aristotelis compilavit.*

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

S. BONAVENTURA

Doctor Seraphicus appellatus, in Hetruriæ urbe, quæ Balneoregium, vulgo Bagnarea dicitur, sub Pontificia ditione, natus est. S. Francisci Ordini se devovit: atque Alexandri de Ales discipulus in Philosophia, & in Theologia fuit, quam deinde Parisiis, atque alibi magna sui nominis fama docuit; cuius Universitatis Doctor egregius esse meruit. Anno Chr. 1256. ætatis 34. sui Ordinis Magister Generalis electus, rigidam ejus observantiam decrevit, omnesque suæ curæ commissos sanctissime rexit. Eboracensem Archiepiscopatum in Britannia à Clemente IV. sibi collatum recusavit: post cujus mortem, cùm S. Sedes ad triennium vacasset, nec Cardinales in novo Pontifice eligendo convenirent; jurejurando se Bonaventuræ obstrinxerunt, ut quem ipse in Summum Pontificem eligeret, etiamsi semetipsum proponeret, eundem ab ipsis fore confirmandum. Tum ipse ad tam singulare opus electus, Thibautum, Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconum, Hierusalem tunc commorantem, Pontificem nominavit; qui deinde Gregorii X. nomen accepit. Ab eo Cardinalis, & Albæ Longæ, vulgo Albani Episcopus factus, Concilio Lugdunensi II. ejusdem Pontificis jussu interfuit: post cujus primam sessionem die 7. Maii an. 1274. habitam, ibidem ad paucos dies mortuus est. Sixtus IV. ipsum in Sanctorum numerum retulit an. 1482. & Sixtus V. an. 1588. Ecclesiæ Doctoribus adscripsit. Totum Concilium, Pontifex scilicet, & universi Patres solemini funerum pompa ei justa persolverunt, Funebrem Orationem recitante Petro Cardinali à Tarantasia, qui deinde fuit Papa Innocentius V.

Scripsit plurima, quæ tom. viii. in fol. edita sunt: eaque cunctis Monachis legenda præ cæteris SS. PP. Operibus commendat Joh. Gerson. Horum Operum Tom. 1. & 2. continent Commentarios in S. Biblia: tertius Sermones: quartus, & quintus Commentarios in Magistrum Sententiarum: sextus, & septimus Opuscula Moralia; octavus Opuscula ad Monachos spectantia.

Tantæ fuit sanctitatis, ut nedum à Bellarmino commendetur, à quo Deo, hominibusque amabilis appellatur, ab Halensi, qui saepè ajebat: *In Fratre Bonaventura Adam peccasse non videtur*; reliquisque Ecclesiasticis auctoribus; verum etiam ab ipsomet Luthero, Ecclesiæ, ejusque Patrum hoste fævissimo, à quo vocatur *Bonaventura præstantissimus vir*. Vide Henricum Gandensem, Trithemium, & Bellarminum de Script. Eccles. Spondium, Bzovium, & Raynaldum in Annal. Eccles. Wadingum in Annal. & Biblioth. Min. Baillet in Vitis SS. 14. Jul. Volaterranum, Sextum Senensem, Possevinum &c.

ÆGIDIUS COLUMNA

Romanus, ex præclara, & nobilissima familia Colonna ortus, in Parisiensi Universitate à S. Thoma Aquinate studiis eruditus, ibidem & Doctoratus lauream, & alios docendi munus promeruit. Quamvis igitur Ordinis Eremitarum S. Augustini Monachus, & inde ejusdem Ordinis Minister Generalis an. 1292. fuerit; inter Thomistas tamen recensendum duximus, quia S. Thomæ discipulus extitit; sub quo adeo in Philosophia, & Theologia profecit, ut *Doctor Fundatissimus* appellari meruerit. Ob insignem ejus doctrinam, ac sanctitatem à Philippo Rege filii sui Philippi præceptor factus est, cui magnum literarum, ac pietatis amorem inspiravit: in cuius etiam gratiam *Tractatum de Regimine Principum* composuit. Post Regii Principis institutionem Archiepiscopus Bituricensis ab eodem factus, Pontificio munere summa laude